Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Johann Cothmann

Pars ... Fundamenti Christianismi

1 : circa Doctrinam Praedestinationis : Duodecim Exercitiis Academicis in Universitate, Rostochiensi propositi, & in Dei honorem & veritatis confirmationem & propagationem, publici iuris facti

Rostochi: Hallervordius, 1646

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051

Band (Druck) Freier Zugang





Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051/phys_0001
DFG

F. g — 1559.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051/phys_0002
DFG

PARS PRIMA
Fundamenti Christianismi
circa Doctrinam
PRÆDESTINATIONIS
Duodecim Exercitijs Academicis in Universitate Rostochiensi propositi, & in Dei honorem & veritatis confirmationem & propagationem, publici juris facti

Auctore

JOHANNE COTHMANNO
S. S. Theologiæ Doctore, & Professore Ordinario

cum

Dictorum scriptura & rerum præcipuarum indice

ROSTOCHI
Impensis hæredum Johannis Hallervordi,
Bibliopolæ, Anno 1646.

Ex
Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn729958051/phys_0006
DFG

Illustrißimo ac Generosißimo Comiti
ac Domino

Dn. ANTHONIO GUNTHERO,

Comiti in Oldenburg, & Delmenhorst, Dynastæ in Jever & Kniephausen,

Domino suo gratiosißimo.

Ecclesiam sanguine filij Dei redemptam, cum vineâ & vite conferri commodè posse, præter scripturam θεόπνευστον, *multæ arguunt quæ utrinq; institui possunt comparationes. De scripturâ sacrâ res in propatulo est, ut probatione non indigeat. Quis enim adeo hospes est in sacris, ut ignoret Ecclesiam dici vineam & quidem electam ac generosam, à cœlesti agricolâ & patre familias plantatam, & eo quidem fine ut ederet uvas.* Esa. 5. v. 1. *Et cœlestis ille agricola tam propenso in hanc vineam est animo, ut illam fundarit, non loco aliquo sterili, sed clivo uberrimo. Insuper illam turri munierit, elapidarit, ac torcular in eâ excideriť.* Matt. 21. v. 33. *Si causæ investigentur cur Ecclesia vineæ ac generosæ viti comparetur, variæ illæ esse possunt: Initiò enim quemadmodum vitis & vinea ipsum*

Deum, scriptura teste, lætificat: ita Ecclesia charissima illa sponsa, Deo est acceptissima illamq; ita dilexit, ut eandem sanguine pretiosissimo filij unigeniti acquisitam, æternùm beare decreverit. Deinde sicuti vitis, ligno constat fragili, adeò ut teEzech. 15. v. 2. ste propheta & ipsâ experientiâ, lignum ad aptandum operi ex eo non sumatur, neq; ex illo paxillus ad appendendum ei ullum instrumentum assumatur. Ita Ecclesia, coram mundo abjecta, omnium injurijs, variisq; adversitatibus exposita, nullas sibi relicta habet vires, non enim potest hostibus sese impugnantibus resistere. Cum Jehoschaphato 2. Par. 20 v. 12. itaq; humili corde, suppliciq; mente suam agnoscit infirmitatem, quod in se non sit vis obsistendi multitudini adversantium. Nescia igitur, quid consilij periculis exposita capiat, in solo Jehova unicè oculos habet defixos, gemibunda exclamans.

Tu rege consilijs, actus pater optime nostros. Quemadmodum vitis, sola non subsistit, sed adminiculis nonnullis indiget, quibus ceu fulcris innitatur: ita inermis Ecclesia, fulcra tamen sua habet, quibus fortiter innitatur & quæ precibus verâ fide accensis, tanquam claviculis apprehendit. Hinc tritum illud: preces & lacrymæ sunt arma Ecclesiæ. Cum verò quænam illa fulcra sint inquiritur, meritò Deum Trinunum, Asylum Ecclesiæ constituimus unicum & solitarium: maledictus enim ex ore

Jehovæ

Jehovæ vir ille, qui fiduciam habet in homine, & statuit carnem brachium suum. Quia tamen Deus Jer. 17. v. 5.
in Ecclesiæ suæ defensione, non agit semper ἀμέσως & immediatè, proinde excitat quandoq; Josias, Constãtinos, Theodosios, Fridericos &c. quos pusilli sui gre- Esa. 49. v.
gis nutritios constituit. Illi à Deo peculiari Zelo & piâ 23.
sollicitudine inflammati, curam Ecclesiæ suscipiunt, eamq; pro virili amplificant ac dilatant. His meritò Illustrissime ac Generosissime comes, Dn. gratiosissime Te annumero; præterquam enim quod Tua Illustrissima Generositas, pio præit subditis exemplo, dum verbum Dei assiduè magnâ attentione ipse audit, justitiam sine personarum respectu administrari curat, verbi divini ministros tanquam à Deo missos operarios, debito, ob labores exantlatos præmio afficit. Summa: illa quæ piam ac Dei amantem salutemq; subditorum curantem, illustrissimam personam decent, agit. His omnibus accedit beneficium immortalitate dignum, quod Illustrissimum ac Celsissimum principem ac Dominum, Dominum Johannem, principem Anhaltinum, comitem Ascaniæ, Dominũ Servestæ & Bernburg, ex Illustrissimâ sorore filiũ, per aliquot annos ita educandũ curarit, ut præter mores principe dignos, omnium virtutum matrem; pietatem scilicet ipsi simul instillarit, & insuper orthodoxam in sacris fundatam religionem

per

per fideles informatores docuerit Unde factum ut laus Deo tota illa laudabilis provincia Anhaltina, doctrinam è diametro cum sacris pugnantem literis evomuerit. Si quis dubitet dogmata illa scripturæ repugnare, expendat bene: Annon scripturæ contrarium, homines ligno pater meus es dicentes, lapidemq; tu me genuisti alloquentes Qui secundum
Jer. 2. v. 27. 28. numerum civitatum sibi Deos constituunt, & cum essent vinea electa, in palmites degeneres vitis alienæ
De præ-dest. cap. 31 p. 225. convertuntur. Eosdem inquam homines fidem salvantem tamen non excutere, nec à Deo deficere ut statuit Wendelinus. In negotio salutis nostræ vo-
De præ destin. cap. 8. p. 23 luntatem esse arcanam, sicuti loquitur idem Wendelinus Gymnasij Servestani professor. Cum tamen
Act. 20. v. 27. scripturæ sacra sit perfectissima, omne Dei consilium in salutis nostræ negotio nobis annuntians. Nihil ergò quod salutem nostram concernit, est occultum, sed vo-
1. Cor. 1. v. 5. 6. luntas Dei de hominibus, salvandis ut & modus & ordo salutis est satis in scripturâ revelatus, ita ut ea omnibus ditatissimus, in omni sermone & cognitione. An-
Wendel. Christ. Th Lib. 1. c. 4. non horrendum auditu, Deum prædestinasse quosdam ad æternam mortem. Item: Decrevisse ab æterno, plurimis ne occasionem quidem pias audiendi con-
Wend. c. 10. de prædestinat. p. 37. ciones, verbum Dei meditandi, sacramenta usurpandi, pias preces recitandi, psalmos cantandi offerre. Tacco alios quos parte secundâ hujus operis, ob typographiam primò in lucem editi Illustrissimis, Reve-

rer

rendißimis ac Celsißimis principibus Megapolitanis, Dominis meis clementißimis, ceu tractatus hujus, typographo causante, primitias, humiliter inscripti, allegavi. Quorum summa est: condidisse Deum hominem ut laberetur. Item: Deum internâ & particulari ac ineffabili actione reprobos in cæcitatem, obdurationem, & prava desideria impulisse. Ut omnia alia ob chartæ angustiam hac vice non attingam. Libet brevissimè considerare definitionem Wendelini S. cænæ, quam institutam esse in memoriam Christi crucifixi, rectè dicit. verum quia verborum institutionis Christi: Edite hoc est corpus meum: Bibite hic est sanguis meus, nullâ ratione meminit, proinde illum S. cænam ex proprio cerebro, non Christi mandato definire sine præjudicio judicanti palam est. Hanc heterodoxiam, quia Illustrissima vestra Generositas, piâ sollicitudine & optimâ optimi principis educatione correxit. Hinc sine dubio multi illius loci, veritatis cælestis amantes, ac antehac ob errores illos sæpius ingemiscentes, devotas V. F. G agent gratias. Res ipsa ita est comparata, ut de Illustriss. vestra Generos. præter alias Illustris. personâ dignas virtutes, rectissimè cum insigni humilitæ voto dicatur. Zanch. Tom. 7. p. 208. Christ. Th. c. 23. p. 374. 1 Cor. 11. v. 24. 25.

Semper bonos nomen tuum laudes, manebunt. Ego hoc beneficium omni memoriâ dignissimum, hac occasione posteritati commendandum aquissimum esse duxi. Ab Illustr. simâ verò vestrâ Generositate humiliter contendo, institutum meum, ex debitâ devotione profectum probet, & me meosq; gratiâ quæ coram non semel experta sum prosequi pergat. Ego preces ac devotionem promitto. Dat. Rostoch 21. Mart. Anno 1646.

Vestræ Illustriss. Generositati devotissimus

JOH ANNES COTHMAN D.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051/phys_0011
DFG

Nomina Respondentium, qui sese in hac primâ parte solertes dedêre.

1. GEORGIUS Gottleben Lubecensis
2. M. CAROLUS Lithman Oreb. Svecus
3. JOHANNES Elisen Eimbeccensis.
4. BARTHOLDUS Niemeyer Osterodensis.
5. HENRICUS Dringenberger Rostochiensis.
6. BARTHOLDUS Niemeyer Osterodensis.
7. HENRICUS Clausinck Lemg. Westphalus.
8. GEORGIUS Uphoff Embdâ Frisius.
9. JOHANNES RUDOLPHUS Gryphiander Oldenburgensis.
10. M. JOHANNES Kemper Lemg. Westphalus.
11. JOHANNES Kettwich Wittmund. Frisius.
12. DITHMARUS von Oeseden Flensburgensis.

Joh. 15. v. 19.
Ἐγὼ ἐξελεξάμην ὑμᾶς ἐκ τοῦ κόσμου

I.

QUanta articuli de æternâ filiorum Dei ad Salutem prædestinatione sive electione, sit necessitas ac utilitas, articuli hujus, ut & justificationis hominis peccatoris coram tribunali Christi conjunctio, quam ipse *Sohn. Tom. 2. de Prædest. p. 994.* concedit, satis superque demonstrat: Sicuti enim Deus, pater misericordiarum nos miseros homunciones in tempore justificat, ita ab æterno elegit: quod Apostolus voce καθὼς *Eph. 1. v. 4.* emphaticè indicat. conf. *2. Timoth. 1. v. 9. 10.*

2. Unde ipse Zanchius propria vineta cædens, ut suo loco dicetur, ex Augustino ait *Lib. 5. de Nat. Dei cap. 2. p. 529.* Quo quisque modo aliquid donat, illo etiam modo illud donare decrevit, ac proinde quo modo tua in nos confert dona Deus, gratiam scil. & gloriam: eodem planè modo, etiam in nos conferre ab æterno decrevit ac prædestinavit, & subjungit Zanchius loco allegato, propositione hac Augustini nihil esse certius. Zanchio adstipulatur *Sohnius Tom. 2 p. 992. D. 1024.* expresse scribens: Quæ nunc in tempore facit & exequitur Deus, ea in tempore facere & exequi ab æterno decrevit, & sicut facit & exequitur, ita facere & exequi non aliter decrevit &c.

3. Si itaque Articulus justificationis hominis peccatoris coram tribunali Christi tam est necessarius, ut Lutherus præfatione in Epistolam ad Gal. asserat: in corde meo unus iste regnat Articulus, item in fine dictæ præfationis: Hæc doctrina nunquam satis tractari & inculcari potest, ea jacente & pereunte, jacet & perit simul tota cognitio veritatis. Quis non videt pari ratione ob utriusque harmoniam, & hujus Articuli orthodoxam, id est scripturis divinis conformem ἐξήγησιν, maxime ejus

 necessa

necessariam ac subinde inculcandam; nam & hic illud Pauli militat. ad *Phil. 3. v. 1.* eadem scribere vobis me quidem haud piget, vobis autem tutum est.

4. Orthodoxam igitur & Apostolicam, cum Deo, prædestinationis doctrinam repetituri, ejusdem ἐξηγήσεως à definitione auspicamur. Est igitur *Prædestinatio, sive electio Dei actio, quæ ante jactâ mundi fundamenta, non secundum opera, sed ex merâ (non tamen absolutâ omnem respectum excludente) suâ gratiâ & misericordiâ in Christo, juxta propositum & præmotionem, ad vitam æternam ordinavit homines, virtute Spiritus S. per Evangelii prædicationem. perseveranter in Christum credituros, in laudem gloriosæ gratiæ Dei.* Definitio hæc in locis Scripturæ classicis est fundata. vide *Eph. 1. v. 3. seqq. 2. Thess. 2. v. 13. 2. Tim. 1. v. 9. Rom. 8. v. 28 29. 1. Pet. 1. v. 1. 2. 1. Tim. 1. v. 16. &c.*

5. Quamvis verò Theologi circa Prædestinationis genus constituendum variare videantur, aliis per providentiam, nonnullis per decretum, prædestinationem describentibus; arbitramur tamen dissensum illum in verbis potius, quam re ipsâ consistere, quod demonstrare, in ipso conflictu & placidâ sententiarum collatione parati sumus.

6. Vox autem prædestinationis in hac præsenti materiâ in bonam tantum partem sumitur, quod contra negantes *Calv. Lib. 3. cap. 21. § 5. Zanch. Lib. 5. de Nat. Dei cap. 2. p. 479. Ursin. in Explicat. Catech. p. 214 Sub. Tom. 2. p. 1002. Pareum in Irenico. p. 242.* aliosque ex eadem Schola, rectè affirmat *Lomb. lib. 1. dist. 35. & 40.* ubi diserte verbis dicit: Prædestinatio de bonis salutaribus est, & de hominibus salvandis & *Bellar. Lib. 2. de Grat. & Lib. Arbit. cap. 16.* ait: non invenitur hoc nomen in Scripturis, nisi in bonam partem. Quod & *Keckerm in System Theol. Lib. 3. p. 243.* fatetur.

7. Vocabulum electionis ejusdem in hac materiâ est latitudinis & significationis, (malè ergo *Bucan. Loc. 16 p. 392.* aliiq; electionem, prædestinationis speciem constituunt) unde qui sunt prædestinati, illi quoque ad vitam æternam electi, & vice versa conf. *Eph 1. v. 4 5. 1.* Extra hanc, qua de agimus, materiam vox electionis est ἐκ τῶν πολεμίων λεγομένων, notat enim

Vox

Vox hæc 1. rei præstantis seu eximiæ dilectionem, ut *Esa. 4. v. 1. Luc. 23. v. 35.* in quib. locis, quid sit electus Dei, locorum aliorum collationes ex *Matt. 3. v. ult. & c. 17. v. 5.* evidenter ostendunt. Et hoc sensu *1. Tim. 5. v. 21.* Angeli dicuntur electi, id est dilecti, præstantes & eximii conf. *1. Reg. 12. v. 21. 2. Reg. 3. v. 19.* Male itaque *Polan. Lib. 4. Syntag. cap. 8.* Angelos in Christo capite & mediatore esse electos asserit. Qui si electionis vocem urserit, indeque assertioni suæ fidem fecerit, parum aberit quin sepulcra *Gen. 23. v. 6.* curtus *Exod. 14. v. 7* cedros *Jer. 22. v. 7.* in Christo capite & mediatore electa esse affirmet.

8. 2. Sumitur pro ipsis electis voce abstractiva pro concretiva sumpta *Rom. 11. v. 7.* non aliter ut præputium *Rom. 2. v. 26. 27.* gentiles præputiatos: ac circumcisio *Rom. 3. v. 30. c. 15. v. 8.* Judæos circumcisos, & concisio *Phil. 3. v. 2.* Pseudo-Apostolos abrogatam circumcisionem ut necessariam urgentes, indigitant. Notandum verò circa hanc acceptionem electionis vocem abstractivè non uno modo accipi: præter illum enim jam indicatum modum, est adhuc alius, emphasin quandam inferens ut *Ex. 15. v. 4.* electio ducum Pharaonis pro summis & eximiis principibus. Electio votorum *Deut. 12. v. 11.* pro electis & præcipuis votis, Electio vallium *Esaiæ. 22. v. 7.* id est præcipuæ valles curru repletæ sunt.

9. 3. Designat hominis alicujus ut *1. par. 28. v. 4. 5. Esa. 43. v. 10.* aut etiam rei & loci ad certum usum selectionem ut *Gen. 13. v. 11.* ut *Esa. 58. v. 5. c. 65. v. 12.* & passim. Et quia hominum officia non sunt uniusmodi, modò significat hominis cujusdam ad officium regium administrandum separationem *1. Sam. 10. v. 24. c. 12. v. 13.* modò certæ functionis commissionem *Jos. 4. v. 2. 4 c. 18. v. 4. Exod. 17 v. 9. c. 18. v. 25.* In Nov. Testam. ad muneris Apostolici functionem, notat vocationem *Luc. 6. v. 13. Joh. 6. v. 71. c. 15. v. 16* Et quamvis ultimus locus ab *Augustin. Tract. 86. in Joh.* de electione ad vitam æternam intelligatur unde *Bucan. Loco 36.* de *Prædestinat p. 394.* aliiq; ex eadem Schola, electionis absolutæ dogma è citato dicto confirmare studeant; textus tamen circumstantiæ diversum docent.

Quod vel ipse *Calvin.* in h. l. non dissimulat expresse scribens: non agitur hic quidem de communi piorum electione, qua in filios Dei adoptantur, sed de particulari, qua discipulos suos ad munus prædicandi Evangelii destinaverat.

10. 4. Significat gentis alicujus præ aliis populis prælationem ac prærogativam *Deut. 7. v. 6. conf. c. 26. v 18. 19. v. Reg. 8 v. 53.* Quæ tamen gentis alicujus prælatio, non infert voluntatis ex parte Dei de hominibus ad Ecclesiam vocandis particularitatem: quam vis enim non fecerit taliter ulli nationi, juxta *Psalm. 147. v. 20.* fecit tamen aliter, ut suo loco plenius dicetur.

11. 5. Tandem vox electionis pro subjectâ qua de, volente Deo, deinceps acturi sumus materiâ notat κατ' ἐξοχὴν hominum finaliter credentium, ad vitam æternam ante jacta fundamenta mundi factam destinationem, de qua Scriptura Sacra loquens ait: multos quidem vocatos, sed paucos electos, *Matt. 22. v.* 14. quippe Deum non multos sapientes, nec multos genere claros, sed quæ stulta sunt mundo elegisse. *1. Cor. v. 26. 27.*

12. Hanc verò electionem ἐπικῶς acceptam scriptura quandoque aliis effert verbis, quæ, si rem ipsam spectemus, idem notant; utpote Synonyma sunt, ac æquè latè patent: vocatio Sancta Secundum Dei propositum *2. Tim. 1. v. 9.* ordinatio ad vitam æternam *Act. 13. v. 48.* adoptatio in filios juxta bene placitum voluntatis suæ *Eph. 1. v. 5.* datio specialis Christo facta *Joh. 17. v. 9.* Scriptio nominum in cœlo *Luc. 10. v. 20.* & inscriptio in librum vitæ *Dan. 12. v. 1. Phil. 4. v. 3.*

13. Ut verò in hac materiâ eò felicius progrediamur disputatione hac inquirere animus est; an Dei ad homines eligendos sive æternùm salvandos propensio, sit particularis quorundam tantum, quos ex divinæ voluntatis arbitrio ut *Calvinus* loquitur *Lib 3. Inst. c. 23. §. 10* Universali exitio eximere, inq; regni sui hæredes assumere constituit: An verò consilium, propositum, ac voluntas Dei seria sit, ut omnes ubique homines resipiscant & æternùm salventur. Prius contra scripturam affirmat Calvinus cum asseclis: Posterius Scripturâ prævia affirmamus.

14. Quia

14. Quia vero *Pareus in Irenico Art. 7. p. 258.* hanc falsò sibi ac suis imponi accusationem conqueritur, proinde antequam ad rem ipsam progrediamur, Thesin Calvini cum ὁμοψήφοις prius constituemus, & ne injuriam alicui feciſſe videamur, propria Adsariorum nostrorum verba adducemus. Ita ait *Calv. Lib. 3. Inſtit. cap. 21. §. 5.* Non enim pari conditione creantur omnes: Sed aliis vita æterna, aliis damnatio æterna præordinatur. Itaque prout in alterutrum finem, quisque conditus est, ita vel ad vitam vel *ad mortem prædeſtinatum* dicimus §. 7. satis jam liquet, Deum occulto consilio liberè quos vult eligere, aliis reijectis. *c. 23. §. 6.* Deus consilio nutuque suo ita ordinat, ut inter homines ita nascantur *ab utero certæ morti devoti* § 8. ex Dei prædestinatione pendet eorum perditio §. 9. æternâ Dei providentiâ in eam cui homo subjacet calamitatem, conditus est homo. In *cap. 18. Ezech.* idem ait *p. 97.* si penes Deum est convertere homines, sicut creare, sequitur *ideo non converti reprobos, quia DEus non vult ipſos converti.*

15. *Beza* eandem assertionem disertis verbis proponit *in coll. Momp. 527.* & seqq. Deus vasa iræ ad æternum interitum creavit & præparavit. Item: quod Deus multos in sua miseria reliquit, *ad æternam damnationem ordinatos & deſtinatos*: Deus propterea nullius injustitiæ aut crudelitatis argui potest, Item: Proposuit eos (impios) in hunc finem creare, ut in ipsis *iram & juſtitiam suam oſtenderet*, quos nunquam dilexit. Quapropter non est quod miremur, Deum aliquos in miseria sua *occulto & arcano ipſius conſilio reliquiſſe, quos æterno, ſed juſto decreto, ad æternam damnationem creavit.* Et ne quis de Bezæ sententia ambigat, aut obiter eandem prolatam affirmet, repetit illam disertis verbis *parte 2. Reſp. ad act. coll. Momp. p. 194.* hoc dico, inquit, nunquam tempus fuisse, vel esse, vel futurum, quo voluerit velit aut volaturus sit singulorum misereri: Sed ab æterno pro bona sua voluntate, & ea quidem cui resisti non potest, constituisse & quorum in Christo misereretur, & quos in Christo induraret.

16. *Zanchius idem docet Tom. 7 de prædeſt. p. 189.* ajens: Deus repro-

reprobos prædestinavit ad indurationem & excæcationem *p.* 196. alii sunt prædestinati ad mortem. *p.* 191. Deus ab æterno decrevit aliis dare fidem ad salutem, aliis non dare. *Et Lib.* 4. *de Nat. Dei cap.* 4. *p.* 527. distinguit misericordiam electorum & reproborum, quod illorum misereatur ad salutem vitamque æternam: horum vero ad temporariam & hujus seculi vitam *duntaxat*.

17. *Keckerm. Syst. Theol.* 3. *p.* 246. quærens cur Deus benevolo voluntatis affectu quosdam non sit complexus? Respondet id non aliunde esse, quam ex absoluto illo jure, quod Deus tanquam primus & summus Dominus habet in creaturas, ita ut ei voluntas stet pro ratione. Hanc rem illustrat aliqua similitudine. *p.* 252. 253. quam illius verbis propono. Quod si, ait, nos homines in quotidianâ bestiarum mactatione utimur nostro arbitrio, nequa injusti aut dicimur aut revera sumus, si hodie hunc bovem macte mus, alterum non mactemus. quanto magis hic Deo suum relinquendum arbitrium & absolutum decretum in homines, qui Dei respectu non sunt tanti, quanti hominibus est culex aut pulex. *Piscator in Tract. de Orat. Dei & volunt.* 2. *disp. Quæst.* 6. *p.* 177. ex professo disputat, Deum non velle singulos homines salvos fieri. Et *Marty. de prædestinat.* ait *p.* 819. Deum efficaciter non velle salutem omnium, demonstrant infantes plurimi, qui pereunt extra Christum &c. Similia apud alios legi possunt. Inde vero satis constat non esse λογομαχίαν vel falsam accusationem, quando hæc sententia adversariis nostris tribuitur, quod tamen *Paræus in Irenico scribere non vereatur cap.* 24. 24. *Art.* 6. *p.* 142. qui assertioni suæ fidem facturus, dicit: promissiones gratiæ sunt universales, pertinentq; ad omnes, quoad *prædicationem, invitationem & mandatum credendi*. Ad solos vero credentes pertinent, quo ad applicationem efficaciam & fructum. Quæ assertio modo oris ac cordis esset harmonia, sana foret: Verum Paree quomodo salvis tuorum hypothesibus affirmare audes, promissiones gratiæ esse universales *quo ad prædicationem*, cum juxta *Zanchium Tom.* 7. *de prædestinat. p.* 190. Deus velit & faciat, ut aliquibus Evangelium, quod est instrumentum salutis non prædicetur, unde illis

illis Apostolos & concionatores non mittat. Imo si aliqui ad eos ire velint prædicatum, prohibeat, unde postmodum infert quosdam homines esse prædestinatos, *ad non audiendum Evangelium* similia habet *Bezæ part. 2. ad Act. coll. Momp. p. 162.*

18. Deinde quomodo universales esse possunt ex tuâ tuorumque sententiâ gratiæ promissiones, *quæ ad invitationem* cum juxta *Bezam* contra Castellionem *de æternâ Dei prædestinatione. p. 418.* Deus in Adamo non uno fine condiderit, sed ut iræ esset locus impium ad diem justi judicij crearit. Unde idem ait *parte 2. ad Act. coll. p. 194.* Universalitatem illam qua Deus velit omnes salvos fieri, non tantum quo adeventum, sed quod *ad ipsum Dei consilium & propositum, seu servandi voluntatem attinet:* alibi quidem ad solos efficaciter vocatos ut *Rom. 8 v. 28.* alibi ad adoptionem & electionem *Eph. 1. v. 5.* alibi ad solos credentes ut *Joh. 3. v 16. Rom. 1. v. 16.* restringatur. Hactenus Beza. Unde colligo: Quicquid ex consilio & proposito Dei *restringitur ad solos credentes*, & efficaciter vocatos, illud non est universale. At promissiones gratiæ restringuntur. Ergo &c. Hinc *Bucan. Loc. 36. Quæst. 26.* vocationem vocat indefinitam, & addit: nec Deus *universaliter vocat omnes externe* per prædicationem Evangelij, cum multis nunquam innotuerit.

19. Denique quomodo juxta Pareum Promissiones gratiæ sunt universales *quoad mandatum credendi*, cum *Zanch.* loco supra citato. *p. 19.* expresse scribat: Deum ab æterno decreuisse aliis dare fidem ad salutem, aliis non dare. Et post pauca idem dicit; ac primum quidem Sacræ literæ, quod impij vel non credant in Deum ac Christum, vel non benè operentur, aperte ajunt hoc ideo fierj, quia non sunt prædestinati à Deo ad fidem, & ad bona opera. Et hic sodes, Paree qui promissiones gratiæ quoad mandatum credendi possunt esse Universales? Cum fidei fundamentum & objectum; Christus scil. non sit universalis redemptor. Ita enim scribis *cap 28. Art. 4. in fin.* Quidni nostrum faceremus hoc dogma (Christum non esse mortuum pro omnibus, sed tantum pro electis) sobriè intellectum? Est enim dogma Christi.

Apo-

Apostoli, Originis, Ambrosii, Augustini &c Et subjungis: Agnoscimus ergò hoc dogma nostrum esse, quia est catholicum. Et *art. 10.* fateris promissiones Evangelij esse universales limitatè, ratione omnium credentium, non absolutè *ratione infidelium.*

20. Ex his ergò ipsorum adversariorum verbis & hypothesibus palam constat, (quod & suo loco eorum argumenta & rationes quibus assertioni suæ fidem facere conantur, docebunt) quæ illorum hac in re. sit sententia; nimirum: *Deum non velle omnes homines salvos fieri, sed absoluto decreto maximam generis humani partem æterno exitio destinasse, quam nunquam voluerit, nunquam velit nunquam volaturum sit salvari*, ut ex antea dictis abundè satis liquet. Cui nostram in verbo Dei fundatam orthodoxam opponimus sententiam; ex Dei scil. intentione & voluntate promissiones Evangelij esse Universales, non tantum ratione credentium, sed & aliorum incredulorum respectu, Deum ergò seriò & ardenter velle, non tantum genera singulorum ut *Beza* loquitur *part. 2. de Act. coll. p. 192.* sed & singulos generum salvari, adeo ut nullum ab æterno absolutè ad mortem prædestinarit.

21. Probamus hanc nostram assertionem expressis ac dilucidis Scripturæ sacræ testimoniis. I. desumimus ex locis classicis *Ezech. 18. v. 33. & c. 33. v. 11.* Quicquid Deus Sanctissimo jurejurando affirmat, illud verissimum est. At se non velle mortem impii morientis, sanctissimo jure jurando affirmat. Ergo illud verissimum est. Rursum: qui non vult mortem impij morientis, ille ejusdem vult vitam. Deus non vult mortem impii morientis Ergo eiusdem vult vitam. Et consequenter qui æternùm pereunt, non propterea, damnantur, qui Deus æterno suo decreto eoque absoluto eos perire voluit, & ad mortem prædestinavit. Ut antea *Calv. Bezam Zanchium* asserentes audivimus.

22. Adversarii nostri variè contra allegata loca excipiunt. *Beza in colloq. Momp. p. 511.* indefinitam esse enuntiationem, ait, quæ ab universali plurimis in rebus differat, & restrictionem de conversione ostendere intelligendum hoc esse de iis solis quibus datur

tur conversionis gratia. Ad eundem scopum collimat *Piscat. vol. 2. disp. p. 187.* dum textum Hebræum non vertendum esse ait: τελικῶς ut convertatur, Sed: quum convertitur. Idem repetit in Notis ad amicam *collat. V[illegible]ii Sect. 99. p. 170.* Prophetam igitur non de omni improbo, sed sese convertente loqui. Respondeo 1. Ezechielem imprimis principaliter ac directè agere de Judæis sive domo Israël textus ipse arguit. Si ergo hoc respectu propositio prophetæ diceretur indefinita, Beza nos non haberet contradicentes; argumentum autem nostrum nihilominus maneret inconcussum & immotum; ponamus enim sermonem tantum esse de Judæis, an illi omnes electi? Si itaque Deus non voluit in V. T. mortem impiorum Judæotum. Ergo nec hodie vult mortem gentilium. Imprimis quia non solum interstitium maceriæ est sublatum *Eph. 2. v. 14.* & cum Judæi, tùm Græci sive gentes, ad participationem sortis Sanctorum vocatæ *col. 1. v. 12.* sed & potissimum in Nov. Test gratia Dei salutifera illuxit omnibus hominibus *Tit. 2. v. 11.* & Deus annuntiat omnibus ubique ad tribunal Christi aliquando sistendis (electis & reprobis *2. cor. 5. v. 10.*) ut resipiscant *Act. 17. v. 30.*

23 Ad prosyllogismum quod attinet, restrictionem de conversione ostendere, intelligendum esse de iis solis, quibus datur conversionis gratia. Respondeo, præsupponere illum 1. vocem cum præfixo בְּשׁוּב vertendam: Quum convertitur, & non: ut convertatur, cum tamen ipse *Calvin. in cap. 18. Ezech.* τελικῶς verterit, aliique non ignobiles interpretes idem fecerint. Perquam igitur absurdus est *Piscator* in notis ad amicam collat. *Vorstii* scribens: Præpositio ב nunquam reddi potest per conjunctionem, ut: Annon juxta Lexicographorum probatotorum sententiam, septem literæ hujus servilis sunt officia, inter quæ & hoc est, quod motum ad rem importat. Quid ergo est; non volo mortem impij, בִּי אִם בְּשׁוּב in avertendo se à viâ suâ & vivat, id est ut *Marloratus* in h. l. recte exponit: nollem, si fieri posset ut moreretur impius, sive non delector damnatione & interitu impij, sed in avertendo sese à suâ viâ, sive ut

averteret sese à viâ suâ. Hunc sensum Prophetæ scopus, impios à viâ malâ dehortantis לָמָּה תָמוּתוּ ad quid moriemini, satis indicat. Prophetæ enim negotium est, non solum cum impiis sese convertentibus, sed & cum aliis, in impietate perseverantibus, illos ab æterno interitu liberare studens, præmittit ellipticam jurandi formam in veteri ut 1. Num. 14. v. 45. c. 2. v. 14 Esa. 22. v. 14. & Nov. Test. Mar. 8. v. 12. Hebr. 3. v. 11. usitatam, videatur Flac. in Clave, voce Si. Quo ipso seriam Dei voluntatem impiorum interitu non delectantem innuit, quod & subsequens emphatica repetitio שׁוּבוּ שׁוּבוּ מִדַּרְכֵיכֶם הָרָעִים convertimini, convertimini à viis vestris malis, luculenter arguit.

24, 2. Præsupponit conversionis gratiam paucis quibusdam offerri, quæ assertio τὸ κεκρινόμενον continet, & διαῤῥήδην Scripturæ dictis contraria, nam non solum gratiam suam Deus offert piis & credentibus, sed impiis quoque, quos vocat, licet non respondeant Esa. 65. v. 12. c. 66. v. 4. Jer. 7. v. 13. 14. ac consilium Dei spernant Luc. 7. v. 30. verbum suum illis offert; Quamvis seipsos gratiâ illâ indignos reddant Act. 13. v. 46. c. 18. v. 5. 6. c. 28. v. 26. 27. & Spiritui sancto contumaciter resistant Esa. 63. v. 10. Act. 7. v. 51. Vult eos congregare sicut gallina congregat pullos suos, sed illi nolunt Matt. 23. v. 37. conf. prov. 1. v. 24. conf. Jer. 5. v. 3. Zach. 7. v. 12. Dan. 9. v. 11. Zach. 1. v. 4. & passim. Rectè itaque cum Melancht. in cap. 1. Joh. p. 602. dicimus: Diligenter observanda est propositio universalis, quæ testatur Deum omnibus offerre salutem. Item: Promissio Evangelica est universalis.

25. Deinde Piscator excipit vol. 2. p. 187. Prophetam non dicere, si volo: Sed, si delector. Potest autem Deus aliquid velle, quo tamen non delectetur, puta non delectatur improbitate Psal. 5. v. 5. & tamen eam permittit, & quidem volens. Hæc ipse. Cui respondeo, 1. piscatorem secum pugnare, affirmat enim Prophetam hic loqui de improbo non omni, sed eo tantum qui convertitur. Illius conversione ex piscatoris & asseclarum hypothesi non tantum delectatur Deus, sed & eam seriò vult. Verbum חָפֵץ

igitur

igitur juxta hanc explicationem non dilectari tantum, sed & velle notat. 2. ex Scripturarum collatione evidens est verbum חָפֵץ Deo assignatum ejus benevolam voluntatem simul connotare, unde cum dicitur, *Hos. 6. v. 6.* חָפַצְתִּי חֶסֶד benignitate delectatus sum, ut Junius reddidit, illud in loco paralelo Nov. Test. per θέλω effertur *Matt. 9. v. 13.* conf. *Num 14. v. 8. cum. 1. cor. 10. v. 5.* Hinc 70 Interp. locum *Ezech. c. 33. v. 11.* per βούλομαι exponunt. Et ratio evidens est, quia delectatio eorum est, quæ volumus, non quæ aversamur. Et probati Hebræi tad. חָפֵץ non tantum per delectari, sed & velle exponunt, ut ex Schindlero, Avenario, Buxtorphio videre est Hinc Pagninus in Lexico ait. חָפֵץ in conjugatione Kal est velle, complacere, aut voluntatem & complacentiam habere.

26. Ad rationem Piscatoris, cum ait: Deum posse aliquid velle, quo tamen non delectetur, puta non delectatur improbitate, & tamen eam permittit & quidem volens. Respondeo non pari passu ambulare: permittere & velle. Pater filii prodigi *Luc. 15. v. 12.* permittebat filio suo immorigero ac prodigo τὸ ἐπιβάλλον μέρος τῆς οὐσίας insumere, hanc tamen prodigalitatem pater non voluit. *Psal. 81. v. 13.* populus Israeliticus non ascultavit voci Jehovæ, ideo dimittit eos ut eant cum pravis consiliis suis, anne illam pravitatem Deus voluit? contrarium vide. *2. Reg. 17. v. 13. Jer. 25. 5. c. 35. v. 15. Zach. 1. v. 4.* Deus *Act. 14 v. 15.* Sivit sive permisit omnes gentes ingredi viis suis, quæ qualis fuerit via exponitur. *Rom. 1. v. 21.* & seqq. *1. cor. 12. v. 2. Eph. 4. v. 17, 18. 19 1. Pet. 4 v. 3.* anne Sanctissimus Jehova, qui & nos vult esse Sanctos *Lev. 19. v. 2.* atrocissima illa scelera, & nefanda facta, quorum recordatione mens pia meritò stupet, voluit? contrarium legere est. *Lev. 18. v. 24.* & seqq.

27. At in quis: volens tamen permisit, Respondeo cum *D. Lobech. disp. 21. in Aug. confess p. 513.* In permissione esse aliquid ἀκουσίως & simul ἀκουσίως quippiam. Non enim simpliciter invito Deo peccant homines, ἀπρακτον enim & ἀδύνατον est simpliciter invito Deo quicquam fieri: neque tamen simpliciter vo-

 lente

lente Deo peccatum committitur, quia id odit & aversatur *Psal. 5. v. 5.* Restat ergò ut sit certus respectus permissionis divinæ, ratione cujus & non volentis & volentis sit permissio. Is autem hic est: Si permissionem ad ipsum peccatum refers τὸ ἀκόσιον θεῷ ejusquæ odium includit & est non volentis: si verò ad finem non eum quem causæ per se agentes intendunt, sed quem divina Sapientia inde educit, volentis est: Summa: quicquid voluntatis in permissione peccati est, id non ipsum peccatum in se consideratum, sed ejus solummodo finem, quem divina bonitas inde elicit respicit. Deus enim ut *Schn. Tom. 1 p 143.* rectè ait, peccatum fieri non fineret, nisi ex ipso aliquid boni elicere posset. Perimssio itaque & voluntas ut *D. Hun.* verè inquit *loco de provid. p. 722.* ad diversa tendunt objecta. Nam permissio fertur ad id, quod malum Deique naturæ & voluntati inimicum est, voluntas verò ad id quod bonum, id est, permissio ad peccatum ipsum: voluntas verò non ad ipsum per se peccatum (hoc enim nulla prorsus voluntate vult) sed ad fines ejus utiles, naturæque Dei congruentes, quos Deus pro sapientiæ suæ virtute etiam ex malo novit educere, & in medià rerum confusione quendam ordinem invenire.

28 Tertio in *Notis Biblicis ad cap. 33. Ezech.* respondet Piscator: Sermo hic est de morte corporali & violentà, qualis infertur per gladium. Quare impertinenter hic locus vulgo allegatur, tanquam loquens de morte æternà. Idem sentit *Martyr. in Quæst.* an filius portet iniquitatem patris, *p. 438* Respondeo. 1. posito non concesso, Sermonem hic esse de morte tantum corporali, quam Deus non velit; ergò multo minus vult mortem æternam, utpote longe periculosiorem conf. *Matt. 10. v. 28.* 2. loqui textum imprimis de morte æternâ, (morte corporali pænisque temporalibus non exclusis) patet 1. ex oppositione vitæ salvificæ & æternæ *Ezech. 18. 7, 17.* mors corporalis tantum abest ut vitæ æternæ opponatur, ut potius sit transitus in vitam *Joh. 5. v. 24.* & lucrum. *Phil. 1. v. 21.* 2. de illâ morte quoque sermo est, quæ piis non obtingit, sed solorum impiorum est. *Ezech. 18. v. 5, 17 18. 24.*

3. illa

3: illa mors quoque intelligitur, quæ peccatis ex malitiâ commissis debetur *Ezech. 18. v. 26. 27. 28.* hæc vero mors est æterna & spiritualis, *Rom. 8. v. 13.* quam Scriptura mortem secundam *Apoc 20. v. 6. c. 21. v. 8.* appellat. Hæc modò dicta tam manifesta sunt, ut ipse *Martyr.* dicat. *p. 431.* quamvis non inficior ad pœnas etiam spirituales transferri posse. Et ipse *Pisat. vol. 2. p. 188.* sententiæ nostræ (tanta vis est veritatis!) subscribit hisce verbis: Cæterum quod in fine hujus loci monet (Schaffmannus) mortem æternam in illo Ezechielis dicto intelligendum esse, id inter nos quidem *extra controversiam* est. Sed si est extra controversiam, cur in libro de *Grat. Dei p. 61.* ex professo disputas, mortem temporalem violentam, non vero æternam in Ezechielis loco intelligendam? id probas 1. de illa morte sermo est quæ gladio hostili infligitur *Ezech. 33. v. 3. 2.* quia mentio fit sanguinis id est cædis *v. 4. 5. 6. 3.* ex querela Judæorum sibi in peccatis contabescendum esse metuentium *Ezech. 24. v. 23. 4.* ex parabolâ qua Judæi injustitiæ Deum arguebant *Ezech. 18. v. 2.* dicentes: patres comederunt omphacem id est, majores nostri Deum peccatis offenderunt. Et dentes filiorum obstupescunt, id est nos innocentes propterea punimur, captivitate, bello &c. Judæos verò conquestos fuisse non de morte æternâ, sed de pœnis corporalibus. *Hæc Pisat.* sibi ipsi contradicens. Ad singula vero respondemus & quidem ad primum, probari ea ratione Jehovam per Prophetam agere quoque de morte temporali & violentâ. Verum quæ consequentia. Ergò de illâ solâ agitur? vel agitur ibi de morte temporali violenta: Ergo non de morte æterna. Mors corporalis & æterna sibi invicem non opponuntur, sed subordinantur *Luc. 16. v. 22. c. 2. v. 20.* Ad secundum Respondeo, licet vox sanguinis, in non nullis scripturæ locis ut *Lev. 19. v. 16. Num. 35. v. 33. 2 Par. 24. v. 25.* & passim pro cæde ac morte corporali violentâ tantum sumatur; hæc tamen acceptio non est perpetua. A particulari igitur fit illatio: aliquando vox sanguinis notat cædem: ergò semper. Ipse *Beza in Not. Major. ad Act. 15. v. 6.* id refutat ajens: Sanguinis appellatione cum cædem, tum vero omne exitii

genus intelligitur. Et ipse Piscat. in Act. Apost. nomine sanguinis exitium judæorum quod mortem æternam non excludit, intelligit. Marloratus, vocem sanguinis de Dei vindicta, quæ vel imprimis mortem æternam connotat, 2. Thess. 1. v. 9. exponit. Tertium argumentum invertimus. Judæi enim impii in peccatis contabescentes, non mortem solum temporalem, sed & æternam peccatis debitam conf. Rom. 2. v. 9. c. 6. v. 23. senserunt. Ad Quartum idem quod ad primum respondemus. Non enim insanius iudicias Judæos in suo proverbio, pœnâm respexisse corporalem, sed consequentiam negamus hanc: pœna ibi intelligitur corporalis, ergò non spiritualis, perinde si quis argumentaretur Gen. 2. v. 17 Jehova comminatur mortem temporalem. Ergò non æternam. Et tantum de primo sententiæ nostræ argumento dictum esto.

29. 2. Ex Joh. 3. v. 16. ita argumentamur. Qui dilexit totum mundum, ille nullum ab æterno absolutè ad mortem prædestinavit. Sed seriò potius illius salutem voluit. Deus dilexit totum mundum. Ergo nullum ab æterno absolutè ad mortem prædestinavit, sed illius salutem potius serio voluit. Cum verò adversarij nostri ut robur hujus argumenti infringant, communiter excipiant, appellatione *mundi* Solos electos exprimi ut ex, coll. Mompel. p. 540. Zanch. Tom. Miscel. p. 235 Piscat. vol. 1. p. 179. Polan. Libr. 2. Synt. cap. 12. p. 471. & Lib 6. c. 28. p. 83. aliisque videre est. Illa exceptio quia utramque paginam in Schola nobis contradicentium facit, ex fundamentis & visceribus textus, ac locis parallelis erit diluenda. 1. vox *mundi* Joh. 3. v. 16. illos notat quibus Christus datus est redemptor ac salvator, ut ex textus cohærentiâ constat. Quorum ergo Christus est redemptor, illi appellatione *mundi* veniunt. At omnium omnino hominum, etiam reproborum, Christus est redemptor. Ergò omnes omnino homines non exclusis reprobis, voce mundi veniunt. Major apud adversarios indubitatæ veritatis. Minor ex scripturâ probari potest hoc modo. Quicunque est redemptor illorum qui in Adamo perierunt, qui se abnegant, ac æternùm perire possunt. Ille utique omnium omnino

omnino hominum, nullis exceptis, respectu meriti ac qualitati, est redemptor. At prius verum est de Christo, ut ex hisce locis evidenter patet. *Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10. Gal. 4. v. 4. 1. 2. Pet. 2. v. 1. Rom. 14. v. 15. 1. cor. 8. v. 11* posterius igitur negari nequit.

30. 2. Quos Deus vult credere in Christum, illi appellatione mundi notantur. Atqui impios DEus quoque vult credere in Christum. Ergò appellatione mundi notantur. Major est in textu. Minor quoque ex textu evidenter probari potest, & constat insuper ex *Act. 17. v. 30.* Unde ita inferimus. Quicunque vult omnes in extremo die judicandos μετανοεῖν illo quoque eosdem vult credere. At Deus vult omnes in extremo die judicandos μετανοεῖν. Ergò omnes vult credere. Vera enim μετάνοια nunquam est sine fide, quod vel ipse *Bucanus* concedit *Loc. 30. p. 192.* Et *Beza Epist. 21. p. 227.* ait: pœnitentiam ac remissionem peccatorum conjuncta esse necesseria. Minor non solum in allegato loco, cui & alia addi possunt ut *Luc. 24. v. 47. Act. 1. v. 8.* fundatur, sed & ex *Zanch. Lib. 5. de Nat. Dei cap. 2. p. 198* confirmari potest, ubi ex professo disputat, unumquemque lege & mandato Patris cœlestis teneri, audire Christum, ejus Evangelio credere, eoque & credere in Christum. 3. vocabulum mundus eos notat qui in credentes ac incredulos dispescuntur. *v. 12.* & quorum plerique tenebras magis quàm lucem amplexi sunt. *v. 19.* ipse enim Christus optimus suorum verborum interpres, de illo quem dilexisse Deus pater dicitur, mundo ait: non enim misit Deus filium ut condemnet mundum, sed ut servetur, qui credit in illum non condemnatur: qui verò (ex illo mundo de illo enim agit & intelligenda sunt verba pro subjecta materiâ) non credit, jam condemnatus est. Hæc est autem condemnatio, quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines (quos antea Evangelista *v. 16.* voci mundus inclusit) tenebras magis, quàm lucem. 4. Ex collatione aliorum locorum idem probari potest. ut *Joh. 4. v. 22.* collato cum *1. Tim. 4. v. 10. & 1. Joh. 2. v. 2. Joh. 12. v. 47.* In quibus

locis

locis vox mundus non notat solos electos. Quod de singulis breviter probatum dabimus. 1. quorum hominum Christus est σωτὴρ illi voce mundi notantur *Joh. 4. v. 47.* hanc majorem textus expresse ponit. Subsumo. At non solorum credentium Christus est σωτὴρ vide 1. *Tim. 4. v. 10.* Ergo non soli credentes & electi voce mundi notantur. Beza equidem locum 1. *Tim. 4. v. 10.* de conservatione rerum omnium exponit in Not. Bib. à quo *Piscator* in h. l. non est alienus, uterque suam sententiam confirmat ille locum ex *Psal. 36. 7.* hic verò ex *Act. 17. v. 28* allegando verum suo loco ex professo, cum Deo, probabitur hanc expositionem scopo textus, ac proprietati loquendi repugnare. 2. illos notat vox mundi 1. *Joh. 2. v. 2* quorum Christus est advocatus seu intercessor. At non solorum electorum est intercessor ut ex *Esa. 53. v. 12. & Luc. 23. v. 34.* Videre est. Ergo vox mundi non notat solos credentes. Accedit mundum in allegato loco 1. *Joh. 2. v. 2.* opponi credentibus. Ergò, non notat solos credentes. Per credentes verò non solum intelliguntur Judæi fideles ut *Polan. Lib 8. Syntag. cap. 18. p. 184* exponit, nam illi notantur quibus Epistola inscripta. At illi non sunt soli judæi; nam est Epistola catholica, ut habet inscriptio, respiciens in genere filiolos, patres, adolescentes *c. 2. v. 12, 13.* credentes in Christum *c. 5. v. 31.* Quæ omnia latius patent, quam ut solis credentibus Judæis applicari queant. Hanc veritatem videns *Musculus in L. C.* ad allegatum *locum p. 284.* ait, puto autem mundi dictione intelligendum esse *universum genus mortalium*, unde hic mundus à principio ipsius ad finem usque constat. Cum igitur pro mundo filium suum Deus dedisse, & ille pro totius mundi peccatis propitiatio esse dicitur, quid aliud significatur, quam remissionis peccatorum destinatam esse mortalibus omnibus, ut omni creaturæ sit annuntiandum illius Evangelium. Hæc orthodoxè Musculus allegato loco scribit. Et Gualterus in 1. *Joh. 2* inquit: totius mundi meminit Johannes. Est ergò Christus Universalis omnium servator, in quo nullus est personæ respectus. 3. Vocabulum mundi *Joh. 12, v. 47.* eos notat qui increduli sunt, & quorum causa Christus in mundum venit servator, ita enim habent verba: qui

3.

non

non crediderit ego non judico eum. Non enim veni (adventu meo primò 1. *Joh.* 4. v. 9. 10.) ut judicem mundum, sed ut servem mundum conf. 1. *Joh.* 3. v. 8. 5. denique vocem mundi, in totâ Scripturâ sacrâ ullibi notare solos credentes & electos, hactenus ab adversariis nostris solido aliquo fundamento ac claro loco probatum nondum fuit. Tres in sacris literis mundi occurrunt acceptiones. 1. notat systema cœli & terræ *Joh.* 1. v. 10. & passim. 2. Omnes in genere homines, sive sint credentes sive increduli, in locis de quibus hactenus egimus. conf. *Rom.* 5. v. 12. 3. solos incredulos *Joh.* 15. v. 18. 19. & passim. Quarta ab adversariis nostris ficta de solis electis & credentibus, acceptio, ut eo melius intelligatur ac refutetur, quæ ab adversa parte veritati huic obiiciuntur, paucis considerabimus.

31. *Beza. part.* 2. *ad Acta colloq. Mompel. p.* 213. negans Deum dilexisse impios ait: saltem mihi concedat adversarius unicum saltem Esavum exosum, idque non aliâ ratione, quam quia Deus voluit. Hinc concludit Deum non dilexisse reprobos, & per consequens voce *mundi* reprobos non notari. Respondeo. Deum & odisse & dilexisse reprobos, sed diverso respectu, qui ut eo melius exponatur distinctio voluntatis Dei Antecedentis & consequentis in hac materiâ ob multa scripturæ loca rectè & dextrè exponenda, valde necessaria, erit præmittenda, quam distinctionem *Martyr in L. C. de prædestinat. p.* 858. 859. concedere videtur, sed malè applicat, ut ipsa inspectio docet. *Polan. Lib.* 2. *Syntag. p.* 442. *ex Damasc. Lib.* 2. *orth. fid. cap.* 29. Et *Zanch. Lib.* 3. *de Nat. Dei cap. p.* 254. eandem distinctionem repetentes, propius si verba nonnulla spectemus, ad scopum collimare videntur. Ex ipsâ scripturâ distinctionem hanc proponentes: dicimus nullam hic per se esse voluntatis divinæ distinctionem, ecce quæ in se una & indivisa est, neque respectum hic esse temporis, sed solum ordinis. Antecedens igitur voluntas dicitur, quat. propensio divina erga totum genus humanum attenditur, non habito ad hominum actiones respectu. Hoc modo congregare voluit judæos corumaces ac rebelles *Matt.* 23. v. 37. invitat omnes, etiam venire recusantes ad nuptias Spirituales *Matt.* 22. v. 3. & cœnam magnam *Luc.* 14. v. 16.

vult omnium salutem *1. Tim. 2. v. 4.* non vult ut ullus pareat *2. Pet. 3. v. 9.* nec delectatur morte impij *Ezech. 33. v. 11.* quippe cum velit omnium hominum misereri *Rom. 11. v. 32.* Voluntas vero consequens hominum respicit actiones, obedientiam & inobedientiam, jux a hanc voluntatem interitu impiorum ridet *Prov. 1. v. 26.* & lætatur perdens eos *Deut. 28. v. 63.* relinquit domum populi sui, cui alias bene fecit, desertam *Matth. 23. v. 38.* nec vult ingratos costam suam gustare *Luc. 14. v. 24.* vineam spiritualem labruscas ferentem vastat *Esa. 5. v. 5.* Ex hisce clarè constat quo respectu Deus reprobos diligat, bene soil. eis cupiendo, eorum salutem Christi missione promovendo, ministros verbi illis mittendo, quæ media cum negliguntur, tanquam justissimus judex sententiam suam exequitur, gratiam oblatam aufert, ac tortori infernali eosdem cruciandos tradit.

32. In specie quod attinet Esavum, quem Deo exosum fuisse *Beza ait ex Rom. 9 v. 13.* Respondeo 1. Esavum non solum ad imaginem Dei in Adamo conditum, sed & per circumcisionem octavo die fœderi Dei esse insertum: non ergo DEus absolutè eundem odio prosecutus est 2. Apostolus agens de Jacobo & Esavo non respicit præcisè utriusque personam, sed potius posteritatem, quod vel ea ratione constat, quod Apostolus dicat: major serviet minori. Ubi vero locorum Esau inservivit Jacobo? contrarium potius legimus de Jacobo Esavum Dominum suum agnoscente, ac sese coram fratre incurvante *Gen. 32. 18.* & seq. *c. 33 v.* 3. Esavitas Jacobitis inserviisse *2. Sam. 8. v. 14.* legimus idque juxta vaticinium *Gen. 25. v. 23, 24.* Licet postmodum Esavitæ illud servitutis jugum, ut prædictum *Gen. 27. v. 40.* excusserint *2. Reg. v. 8. 20.* 3. odio habere juxta Scripturæ stylum non semper notat odium propriè sic dictum, sed aliquando idem est quod postponere, posthabere &c ut ipse *Pareus* in *Gen. p. 1641* ac *Rivetus in cap. 29. p. 630.* ejusdem libri phrasin hanc exponunt conf. *Proverb. 13. v. 24. Deut. 21. v. 15. Luc. 14. v. 26. Job. 12. v. 25.* Unde Malachias phrasin hanc: Esau odio habui, exponens ait: *c. 1. v. 3.* disposui montes ejus & possessionem ejus draconibus deserti. Ex hac igitur extensa Jacobo concesse prærogativa Esavum postpositum esse colligi

colligi potest, non quidem in salutis æternæ acquisitione, sed terræ benedictæ possessione. Salutem æternam quod attinet licet *Pareus in cap. 25. Gen.* multis argumentis obtinere cupiat Esavum à salute desciviſſe, illa tamen non ſunt tanti ponderis ut potius cum *B. Luth. in cap. 33. Gen. p. 171. & cap. 35. p. 208.* Esavum acta pœnitentia, veræ Eccleſiæ ſeſe adjunxiſſe ac promiſſionum ſpiritualium participem, tandem ſalvatum fuiſſe, probabiliter dicamus.

33. Deinde urget *Beza locum ex Joh. 17. v. 9.* ubi Chriſtus ait ſe non orare pro mundo, ſed tantum pro datis ſibi à patre. Unde *Zanchius de Chriſto Advocato agens Tom. 7. Miſcel. p. 235.* concludit nomine mundi tantum ſervandos è mundo venire. Syllogiſmus poſſet eſſe talis. Quos diligit pater, pro ijs Chriſtus orat, pro mundo non erat. Ergo mundum non diligit. Reſpondeo, diſtinguendo inter orationem *ſpecialem* ſingulariter pro piorum Chriſti Evangelium conſtanter amplectentium ſalute ac incolumitate fuſam, & in voluntate Dei conſequente meritoque Chriſti applicato fundatam. Et *generalem* pro toto mundo factam, ac in voluntate Dei antecedente & merito Chriſti acquiſito radicatam. Priori modo Chriſtus non orat pro mundo impio & ſcelerato Evangelium repudiante. Id *Luth.* in gloſſa marginali rectè explicat: non oro, inquit, ut mundi ac impiorum conatus tibi placeant. Quæ verò conſequentiæ ratio: Chriſtus h. l. ſpeciali precationis modo, voluntate conſequente, reprobos patri non commendat, nec pro ijsdem preces fundit. Ergò nullo modo neque *generaliter* ex voluntate antecedente, qua omnibus in mundo hominibus bene vult, pro impiis orat? Similis collectio foret, ſi quis ita inferret: Pontifex V. T. Chriſti typum gerens aliquando oravit pro peccatis ex ignorantia commiſſis, *Lev. 4. v. 13.* & ſeqq. Ergo non oravit pro reliquis peccatis; quod tamen illum feciſſe dicitur *Lev. 16. v. 21. 24.* Sic Chriſtus pro Petro ſeſe abnegaturo *Luc. 22. v. 32.* ſpecialiter oravit. Num hinc infertur. Ergò pro ſolo illo ſemper oravit. *Lyra* in h. l. diſtinguit preces cum efficacia conjunctas. Verba ejus hæc ſunt. Ego pro eis rogo, non pro mundo. Hoc dicit quod efficacia ſuæ ratio-

nis tantummodo se extendat ad electos, quamvis enim sit efficax pro omnibus, tamen mali ponunt sibi impedimentum ne sint participes ipsius.

34. Si quis regerens dicat, nondum probatum esse Christum generaliter pro mundo orasse. Respondeo id confirmari posse argumentis certis & immotis, quorum primum desuminus ex ipso capite nobis objecto. *v. 21. 23.* Qui orat ut mundus credat & cognoscat se esse missum, ille quoque pro mundo oravit. At Christus orat, ut mundus credat & cognoscat se esse missum. Ergò quoque pro mundo oravit. Verum excipit *Polan. Lib. 5. Syntag. cap. 7. p. 748.* Vocem *mundi* notare solos electos. At id falsum esse vel ipse *Calvin.* commentario in *Joh. p. 177.* testatur ajens: Quidam mundum exponunt electos, qui tunc adhuc erant dispersi: Sed quia toto hoc capite Mundi nomen pro reprobis accipitur, magis in diversam sententiam inclino. Accedit quod continuo post eundem mundum, cujus nunc meminit, ab omnibus suis separat, credendi autem verbum impropriè posuit Evangelista pro agnoscere: Dum scil. incredulí experientiâ ipsâ convicti Christi gloriam percipiunt. Hæc Calv. cum quo transigat Polanus, & argumenta Calv. in ipso textu nata & fundata refutet, Secundum sumimus *ex Esa. 53. v. 12. & Luc. 23. v. 34.* ex quibus Scripturæ dictis ita infero. Quicunq; orat pro transgressoribus se crucifigentibus, ille quoque orat pro mundo impio. At Christus oravit pro transgressoribus se crucifigentibus, vi. locorum allegatorum, Etgo quoque pro mundo impio oravit. Quod ipse *Calvinus in Harm. Evang. fatetur p. 149.* his verbis: Quum ergò videret Christus cœco impetu, tum plebem Judaicam, tum milites in se furere, quanquam excusabilis non erat ignorantia eorum; tamen misertus est, ut *se deprecatorem interponeret*, & post pauca: Christus cum suos persequutores exitio devovere posset, non modo ab imprecatione abstinuit, *sed etiam illis bene precatus est.* *Polan. Lib. 6. Syntag. cap. 18 p. 201.* ad locum Lucæ excipit, Christum non orasse pro reprobis, quibus sciebat certum exitium paratum, sed oravit communiter pro iis qui tunc hostes erant, sive ex Judæis sive militibus Gentilibus ex ignorantia peccantibus

qui

qui postea conversi fuere, quia Christus non frustra pro illis oravit. Polano non tantum textus repugnat, Christum in genere pro crucifixoribus orasse affirmans: sed & præter Calvinum modo citatum in eadem Schola Gualterus in *Luc. p. 581.* ipsi contradicit. Ille enim quærens pro quibus Christus oraverit? Respondet pro iis à quibus (num illi omnes electi!) crucifigebatur. At quia omnes homines mortis ejus authores sunt ad omnes etiam hæc oratio extenditur. At prosyllogismum Polani: Christus non frustra oravit. Respondeo, Christum non frustra orasse; licet non omnes obstante eorum malitiâ fructum orationis perceperint. Sicut non frustra mortuus pro omnibus, licet non omnes salventur, quemadmodum id in subsequentibus disputationibus pluribus probabitur. Tertium fundamentum depromimus ex precum Christi ac nostrarum conformitate. Pro quibus nos debemus orare, pro illis quoque Christus oravit. At pro reprobis nos debemus orare. Ergo quoque Christus pro illis oravit. Major inde constat, quod nostra oratio pro exemplari habeat ipsius Christi precationem, de qua *Marloratus* ait in Expos. Ecclesiastica in *Matth. cap. 5. p. 33. & cap. 2. 1. Epist. ad Timoth. p. 358.* Christianorum est, imitari exemplum Dei patris & JESU Christi Filii sui. Ille solem suum oriri finit super bonos & malos & pluit super justos & injustos *Matth. 5. v. 45.* Hic vero etiam pro persecutoribus oravit *Luc. 23. v. 43.* Et si Christus nullo modo orasset pro reprobis, nec nos deberemus pro iisdem preces fundere, peccaremus enim facientes id, quod voluntati Christi repugnaret. Nec nostra misericordia major est ipsius Dei ac mediatoris nostri, conf. *Luc. 6. v. 36.* Minor. ex *Matth. 5. v. 45. 1. Tim. 2. v. 2.* evidenter patet, unde *Marlorat. in antea citato loco in cap. 2. 1. Epist. ad Tim.* inquit: Christiani pro universis hominibus, etiam inimicis & peccatoribus orare debent. Idem ait *Paræus in Epist. ad Rom. p. 1136.* Conclusio igitur stat immota Christum scilicet pro reprobis quoque orasse, quod negantibus erat demonstrandum.

35. Ut verò locus *Jeh. 3. v. 16.* Classicus, eò melius intelligatur, placet illa considerare loca quæ nobis contradicentes cumulare solent, *missum* scil. notate quandoque solos electos & credentes,

dentes, premamus vero imprimis ipsius Polani, veritatis adversarios ac reproborum patronos & advocatos nos appellantis, vestigia ille postquam aliquot mundi acceptiones etiam à nobis supra *Thes. 39.* notatas recensuisset *Libr. 5. Syntag. cap. 7. p. 748.* subjungit: vocem mundi notare solos electos, ex toto genere humano, in toto mundo collectos; illa verò acceptio quia τὸ κρινόμενον continet, scripturæ loca pro acceptione hac adducta breviter considerabimus. Primum scripturæ locum profert Polanus *ex Joh. 1. v. 29.* ecce agnus Dei qui tollis peccata mundi, cujus mundi? quærit *Lib. 6. synt. p. 183.* & respondet qui sublato peccato beatus est redditus. Beatum enim Psaltes prædicat, cujus ablata est defectio *Psal. 32. v. 1.* atqui soli credentes sunt beati. Solorum ergò credentium peccatum est ablatum. Hæc Polan. Respondeo 1. ipsum Calv. si verba spectemus Polano esse contrarium; ita enim ait in h. l. quum dicit *Mundi* peccatum hanc gratiam ad totum genus humanum promiscuè extendit. Hinc colligimus pergit Calvin. universum mundum eodem constrigi reatu, & quia cuncti sine exceptione, mortales rei sunt injustitiæ coram Deo, reconciliatione opus habere. Hæc Calv. 2. confundit Polanus locutionem in *Psal. 32. v. 1.* occurrentem, cum Phrasi tollere peccata mundi. Prior phrasis respicit meritum Christi applicatum, quod non solum Apostoli allegatio *Rom. 4. v. 6. 7. 8.* indicat: sed ipsius Davidis exegesis in verbis sequentibus satis testatur; ipso enim *Calvino teste in Psal. 32.* David ter idem inculcat. Quid ergò sit levatus à defectione, phrases idem significantes: cujus rectum est peccatum, cui non imputat Jehova iniquitatem arguunt. Hæ enim locutiones peccata esse remissa & quasi sepulta, ac in profundum maris projecta. alibi locorum ostendunt vide *Psal. 85. v. 3. Neh 4. v. 5. Dan. 9. v. 24. Rom. 4. v. 8.* Posterior verò loquendi modus respicit meritum Christi acquisitum, quod non solùm pios, sed & impios, imò in genere totum genus humanum concernit, ut ex *Thes. 29.* evidens est cui addi possunt sequentia loca *Rom. 5. v. 18. 19. Hebr. 6. v. 4. 6. 10. v. 26.*

36. 2. Urget locum *Joh. 3. v. 19.* de quo hactenus egimus illum

sum verò notare solos electos probat 1. quia illorum amore DEus dedit filium unigenitum 2. ad illos finis donationis vid. immunitas à perditione, ac possessio vitæ æternæ pertinet. Resp. ad 1. Deum voluntate antecedente, omnes homines, quatenus eos ad imaginem suam creavit, & in Christo salutem acquisivit, dilectione generali complecti. Principium ergò Polanus petit, asserens Deum solos electos diligere, quod equidem de amore Dei speciali quatenus pii media salutis non aspernantur concedimus. Attamen de φιλανθρωπία Dei generali ad omnes sese extendente, illud acceptum negamus. Annon enim amoris signum est Deum impiis offerre salutis media conf. 2. Reg. 17. v. 13. Act. 18. v. 5. 6. & passim. Nonne Christus amore erga Judam eundem à proditione dehortatus est Matth. 26. v. 21. & seqq. & quis omnia amoris Dei erga impios documenta recenseret? vide Act. 14. v. 17. Ad 2. Respondeo confundi finem prout ille à Deo intenditur, cum eventu accidentali, culpa hominum contingente. Deus propterea dedit filium suum unigenitum ut omnes salvarentur. Quod autem non omnes salvantur, culpa non est penes Deum, sed ipsos homines gratiam Dei aspernantes medijsq; legitimè Institutis non rectè utentes. conf. Joh. 1. v. 7. Quæ præterea Polanus habet Lib. 2. Syntag. cap. 22. p. 471. manefestum petitionis principij continent Elenchum, ideoque non diutius his immorabimur, imprimis cum de illis suo tempore copiosius agendi occasio, cum Deo, futura sit.

37. 3. Profert locum ex Joh. 4. v. 42 quem nobis, non Polano patrocinari Thes. 30. diximus. 1. Argumentum verò Polani nostram sententiam non impugnat. Ita discurrit; quis dicere audebit Jesum esse servatorem reproborum, hoc est eorum qui non servantur. Respondeo illud nos affirmare prævia Scriptura 2. Tim. 4. v. 10 non erubescimus. Et quemadmodum Cyrus rectè dicitur è captivitate dimisisse omnes Judæos 2. Par. 36. v. 22, 23 Esdr. 1. v. 3. licet plurimi volentes in eadem manserint. Esdr. 1. v. 5. Ut siquis servus libertate donatur, verè dicitur à Domino suo manumissus, quamvis amore domini sui permotus, libertate illa nu-

sus non sit *Exod.* 21. *v.* 4. haud aliter Christus etiam reproborum & pereuntium, est servator, quia Λύτρον ἀντίπαντων solutum pro omnibus *1. Tim.* 2. *v.* 6. & pro omnibus gustavit mortem *Hebr.* 2. *v.* 9. quamvis plurimi mortis Christi fructu & efficacia obstante propriâ malitiâ, non potiantur. Ne verò particula universalis ad solos restringatur electos, quod adversariis nostris solemne est, in utroque textu quinam sint illi omnes, exponitur: nimirum Christus mortuus est pro illis, quibus Paulus constitutus fuit præco *1. Tim.* 2. *v.* 7. At non solorum electorum fuit Apostolus *Act.* 9. *v.* 15. *c.* 14. *v.* 15. *c.* 16. *v.* 21. 22. *c.* 17. *v.* 13. & passim. Deinde pro illis Christus mortem subijt pro quibus orandum *v.* 1. At non solum pro electis preces fundendæ, ut supra *Thes.* 34. dictum, In altero loco *Hebr.* 2. *v.* 9. illi omnes notantur quicunque metu mortis per omnem vitam servituti erant obnoxii. Hæc verò non est solorum electorum, sed omnium in genere hominum, imprimis impiorum periphrasis, ut res ipsa indicat. conf. *Rom.* 6. *v.* 16. *Luc.* 1. *v.* 34. Idem sentiendum de loco *1. Joh.* 4. *v.* 14. à Polano adducto.

38. 4. Producit dictum ex *Joh.* 6. *v.* 33. 51. Unde ita argumentatur. Pro quorum vita Christus carnem suam dedit, ij absque dubio vitam consequuntur æternam. Reprobi non consequuntur vitam æternam. E. pro reprobis Christus non dedit vitam, & consequenter vox *mundi* notat solos electos quibus solis datur vita æterna. Respondeo Major falsissima est. Nam ad salutem æternam consequendam non solum requiritur Christi satisfactio, sed & à parte hominum satisfactionis hujus applicatio. Qua deficiente, Christi satisfactio impiis nil prodest. Fide enim Christus fit noster *col.* 2. *v.* 6. Recte enim definiente *Bucano. Loc.* 29. *p.* 276. fides est organum instrumentum & medium illud quo homo peccator Christum totum cum omnibus beneficiis ejus apprehendit sibi applicat, & Christo unitur ac vivit. Quotquot ergo Christum verâ fide recipiunt, illis dedit potestatem filios Dei fieri *Joh.* 1. *v.* 12. Major ergo ita corrigenda est. Pro quorum vita Christus carnem suam dedit, & qui illud beneficium manu fidei perseveranter apprehendunt, ii sine dubio vitam consequuntur æternam

nam. Jam si de mundo fiat subsumptio; Minor erit falsissima. Si quæras quomodo Christus det vitam mundo, si mundus non salvatur & vivificatur? Respondeo id fieri 1. respectu acquisitionis vitæ; quia Christus vitam lapsu primorum parentum amissam, toti mundo restituit. *Rom. 5. v. 18.* unde *v. 51. Joh. 6.* dicit se daturum carnem suam pro mundi vitâ. 2. ratione oblationis, quod enim Christus acquisivit id per verbum & sacramenta toti mundo offert vide *Marc. 16. v. 16. c. 1. v. 15. Luc. 24. v. 47.* ex quibus locis ipse Pareus in Irenico p: 142. invitationem sive prædicationem quæ nihil aliud est quam beneficiorum Christi in verbo facta oblatio, esse universalem probat.

39. 5. Urget locum ex *Joh. 8. v. 12.* ego sum lux mundi Respondeo. Non solorum electorum Christus lux est, siquidem illuminat omnem hominem in hunc mundum venientem *Joh. 1. v. 9.* id est natum, vide phrasin *Joh. 18. v. 37.* Unde *Pelargus* in *Johannem p. 93.* recte ait: vocat se lumen mundi; non enim paucorum duntaxat hominum, non unius saltem gentis omnium hominum, omnium gentium lux est. Illa verò illuminatio non intelliganda de lumine naturali, ut Beza in Not. N. T. ad locum *Joh. 1. v. 9.* excipit ut sensus sit; nullum hominem nasci, lucis expertem. Nam infantes etsi usum rationis non habent, aut certè perexiguum, tamen animo ipso sunt præditi, qui suapte natura jam tum facultate, aptus est ad intelligendum & ratiocinandum. Hæc *Beza* allegato loco. Similia habet *Marloratus* in h. l. verum illa expositio scopo textus, antecedentibus & consequentibus, repugnat. Quod primò probari potest ex lucis ac tenebrarum oppositione. Quales enim *v. 5.* tenebræ, talis è contrario lux & illuminatio tenebris istis opposita *v. 9.* intelligitur conf. *Luc. 1. v. 79. Eph. 5. v. 8. At v. 5.* tenebræ intelliguntur spirituales, ab Apostolo *Eph. 4. v. 17. 18.* & alibi descriptæ Ergo lux & illuminatio intelligenda est spiritualis. Accedit illuminationem hanc singulare Christi incarnari esse beneficium. Christum verò propterea in mundum venisse ut homo fieret creatura rationalis affirmare absurdum est; Scriptura enim finem incarnationis Christi exponens affirmat illum venisse servatum quod perierat *Matt. 18. v. 11.* ut daret ani-

 mam

nam redemptionem pro multis *Matth* 20. v. 28. & peccatores ad pœnitentiam invitatet. *Matth.* 9. v. 13 animas hominum servaret *Luc.* 9. v. 56. ac tenebras spirituales dispelleret *Luc.* 1. v. 79. Hanc veritatem agnoscit Gualtherus in h. l. ita ajens: Est hoc novum divinitatis argumentum. Solus Deus lux est, quæ mentium tenebras discutit. Eadem est Christus &c. Tertio si illa verba agunt tantum de lumine naturali inferimus cum *Chemnit. in Harm. p. 21.* celebrationem beneficiorum Christi in spirituali illuminatione ex textu Johannitico planè expungi, ut res ipsa loquitur. Illud autem per quam ἄτοπον καὶ ἀλόγον esse, scopus Johannis, Christi mediatoris ac Redemptoris beneficia commendantis arguit. Si quis particulam universalem urgeat ac cum Beza affirmet intelligendum esse beneficium τῦ λόγυ toti humanæ genti communi, ut minimè necesse fuerit nodum hunc nectere. Qua ratione dicatur omnem hominem illuminare Christus, cum tam multi in tenebris maneant. Respondeo ex *Gualthero in h. l. p. 394.* quod omnes illuminare dicitur, partim de ejus virtute, partim de liberalitate ejus debet intelligi. Quod non omnes illuminantur illorum culpa fit. Et D. Hun. in exegesi hujus loci recte inquit *p. 612.* ostendit Johannes lucem istam omnibus hominibus illustrandis sufficientem esse, & extra eam illuminari neminem Conferri potest Dn D. Fevvrb. de peccat. in Sp. S. p. 76. Ex his verò constat Christum se lucem mundi vocantem, non solorum electorum, sed omnium hominum lucem esse respectu sufficientiæ, & seriæ voluntatis, dum ad totum mundum spiritualiter illuminandum sufficit, serioque vult ut omnes salventur, & ad veritatis agnitionem perveniant *1. Tim. 2. v. 4.*

40. 6. In proscenium producit locum ex *Joh. 14. v. 31.* collato cum *c. 17. v. 21. 23.* Respondeo quid de ultimo sentiendum id *Thes. 34.* verbis ipsius Calvini expositum, & quia utriusq; loci, eadem est sententia, de utroque idem sit judicium. Nam res ipsa loquitur Christum non solum agere de electis, sed in genere de omnibus quibus innotescere exoptat se Patrem diligere, conf. *Joh. 1. v. 7. 7.* ex *Rom. 11. v. 15.* rejectio Judæorum est reconciliatio mundi. Respondeo appellatione mundi non soli electi sed in *genere*

gentes

gentes ad Ecclesiam Christi vocatæ intelliguntur, ut ex v. 11. 12. 13. videre est. Et ipse *Marloratus* hanc explicationem habet h. l. ut & *Piscator*, *Parem* aliiq; Jam vero ipsæ gentes non omnes in numero electorum sunt. vide *Matth. 22. v. 10. 11. 12.* Quod ulterius patet hoc syllogismo. Quorum Paulus fuit Apostolus, illi sunt reconciliati. At non tantum gentium electarum fuit Apostolus conf. *Act. 1. v. 8. Mar. 16. v. 15.* & passim. Ergo non solum electi sed rectè dicente Gualthero. in Epist. ad Rom *p. 48.* totus mundus verbo reconciliationis illustratus est.

41 8. Sententiæ suæ patrocinari dicit locum *2. Cor. 5. v. 19.* Deus reconciliat sibi mundum. Ergò qui mundus Deo est reconciliatus, ille hoc loco intelligitur. Atqui reprobi Deo non sunt reconciliati. Ergò. Respondeo textum ipsum distinguere inter reconciliationis acquisitionem *v. 18. 19.* & applicationem *v. 20.* conf *Rom. 5. v. 10.* vel ut *Calv.* loquitur commentario in *hunc locum p. 521.* Duo inquit sunt capita: alterum de reconciliatione hominum cum Deo: alterum quomodo fruamur hujus reconciliationis beneficio. Prius non ad solos spectare electos *Thess. 35.* breviter probatum, & suo loco plenius scripturæ dictis confirmabitur. Hæc sunt quæ Polanus allegato loco de vocabulo mundi habet. Prolixè quidem locum *1. Joh. 2. v. 2.* exponit, Verum quia in illius resolutione ad quæstionem de mortis Christi objecto ex professo dilabitur, eo usque dum de il à materiâ agendi occasio fuerit, argumentorum illorum analysin differemus. Et sub finem hujus disputationis, ut argumenti hujus à voce mundi desumpti refutatio sit illustrior, loca quatuor à Polano omissa breviter attingemus. 1, ex *Matth. 5. v. 14. 2. Rom. 4. 13. Joh. 12. v. 19. 4. 1. Tim. 3. v. 16.*

42. Respondeo ad 1. Apostoli dicuntur lux mundi cum propter verbum: tum propter vitæ exemplum ipso *Gualthero* & *Piscatore* interpretibus. Utrumque non tantum respicit electos, sed & reprobos; generalis enim vocatio, ut *Junius in Not. Bibl. ad cap. Matth. 22. v. 10.* inquit, offert Evangelium quibusvis. Et *Zanch.* ait de reprobatione. *p. 164.* verbum Dei non inutiliter annuntiari reprobis. Paulos quoque omnibus suis (im-

piis & reprobis non exclusis) auditoribus præcepit ut se imitentur 1. *cor.* 11. *v.* 1. *Phil.* 3. *v.* 17. 2. *Thes.* 3. *v.* 9. Inde Hilarius in h l ait. *p.* 257. mundus extra cognitionem Dei positus obscurabatur ignoratiæ tenebris: cui per Apostolos scientiæ lumen invehitur & cognitio Dei claret &c. Resp. ad 2. Abraham dicitur hæres mundi, id est ut *Junius in Not. Bibl.* explicat, terræ Chanaan. Nam in textu illa duo distinguuntur esse patrem credentium, *v.* 12. 16. & esse hæredem mundi *v.* 13. Prior phrasis indicat Abrahamum spiritualem patrem esse omnium verè credentium. Posterior loquendi modus Synecdochen continet, qua totum pro nobilissima totius parte ponitur. Quam vis & illorum explicatio per accommodationem facta non rejicienda, qui insuper mundi nomine hæreditatem cœlestem per possessionem terræ Chanaan tanquam præstantissimæ mundi partis adumbratam conf. *Hebr.* 3. *v.* 13 intelligunt, cui sententiæ ipse *Piscator* in explicat. hujus loci subscribit. Resp. ad 3. mundi nomine non intelligi solos electos, nam multi è numero περιπάτων *Luc.* 8. *v.* 13. relicto Christo non ampiius cum eo ambulabant *Joh.* 6. *v.* 66. sed præsens seculum amplexi sunt 2. *Tim.* 4. *v.* 10. intelligitur igitur hoc loco nomine mundi promiscua populi multitudo conciones Christi externè audiens, quamvis non apud omnes semen verbi divini fructificavit, ut ex *Luc.* 8. *v.* 4. & seqq. aliisque scripturæ locis patet. Resp. ad 4. cum Marlorato distinguendo inter fidem habere in mundo & à mundo. In mundo quidem Christus quosdam habuit vere fideles sibique adhærentes interim tamen teste Evangelista mundus ipsum non cognovit *Joh.* 1. *v.* 10. Et hactenus duo sententiæ nostræ fundamenta consideravimus, reliquam in futuram συζήτησιν differemus, ac Deo è potestate tenebrarum liberanti ac in regnum filii sui dilecti nos transferenti *Col.* 1. *v.* 13. grâtiamq; nobis suam offerenti *Luc.* 14. *v.* 16, devotas gratias agimus.

Post.

בעה

I.

POstquam superiori disputatione φιλανθρωπίας καὶ χρηστότητος τοῦ θεοῦ universalitas ex locis scripturæ classicis probari cœpta est, instituti nostri ratio flagitat, ex aliis scripturæ sacræ oraculis, rem eandem perspicue exponentibus, idem argumentum divina adjuti gratiâ pertexere.

2. Tertium ergò μισανθρωπίᾳ calvinisticæ opponendum fundamentum desumimus ex *Matth. 18. v. 11.* & Loco paralelo *Luc. 19. v. 10.* In utroq; loco clare affirmatur finem adventus filii hominis esse, servare quod perierat. Qui ergò in Adamo perierunt, ad illos sese extendit dixina φιλανθρωπία, vi hujus loci. At omnes omnino homines in Adamo perierunt, teste non solum experientia, sed & ipsa scriptura *Rom. 5. v. 12, 18. c. 3. v. 13.* Ergò ad omnes omnino homines sese extendit divina φιλανθρωπία. Argumentum hoc, ut eò fiat illustrius, consideranda est Christi illatio. Postquam *v. 10.* Servator asseruerat infantes non esse contemnendos, rationem primam desumit ab illorum dignitate & præstantia, quæ in eo splendidissimè elucescit, quod sanctos angelos purissimos illos spiritus, cœlestis patris faciem διὰ παντὸς intuentes, custodes & ministros illis adjunxerit. Ratio secunda desumitur à Dei erga genus humanum immenso & universali amore. Nam si illi omnes non sunt contemnendi, quorum causa Christus in mundum venit, ergò multo minus infantes, qui instar florum sunt generis humani & optima ac nobilissima ejusdem pars, Deoq; eo acceptiores, quo minus peccatorum commiserunt. III.

3. *Gualtherus* in h. l. argumentum hoc ita format: Christus ipse in mundum venit ut servet quod perierat. Dicere debebat ut servet parvulos. Sed ita loqui voluit ut fortius argumentaretur. Qui mei discipuli esse volunt, non debent contemnere eos quibus servandis ego veni. Veni autem ut servem eos qui perierant. peccatores nimirum. Hinc sequitur, quod si hi (qui perierunt peccatores) contemni non debent, multo minus parvi qui eo acceptiores sunt mihi quo contemptibiliores sunt coram mundo. Hactenus Gualth.

Moralem in cap 18 Matth. ejusdem est sententiæ, dum ita inquit: dicere maluit quod perierat, quam quod pusillum erat: ut efficacius suo exemplo hortaretur ad honorem infirmis quoq; & abjectis fratribus habendum: quia non ipsis modò servandis, sed etiam mortuis qui perierant descenderit è cœlo Redemptor. Idem *Marlor.* ad locum parallelum *Luc. 19. v. 10.* ait: aurea profecto est Christi sententia, quæ verè summum & proprium ejus officium explicat, propter quod in hunc mundum veneris. Nam qui affliguntur & perire videntur, existimant se propter miseriam suam, non respici à Christo, nec ullam salutis viam sibi reliquam esse. At Christus propter hanc potissimum causam venit in hunc mundum, ut quæreret & servaret quod perierat. Similia ferme habet *Calvin. in Harmon p. 230.* *Hilarius* eandem rem suo comprobat calculo: inquit enim commentario *in Matth pag. 800.* quia filius hominis venit salvare quæ perdita sunt. Ergò filius hominis salvat infantes, *Sohn. Tom. 1. p. 223* officium Christi exponens ait: Christum tum in carnem venire voluisse, cum maximè profuturum esse scivit. Nam *universali defectioni* mundi, *Universale remedium* Deus reservare voluit.

4. Hæc jam dicta clarissima licet sint à *Piscatore* tamen Herbornensi mirum in modum depravantur, dicit enim ille libro de *Grat. Dei pag. 139.* Quod attinet dictum Christi *Matth. 18. v. 11.* sciendum est eum loqui de ovibus suis, id est electis. Et in *Comment. N. T.* ait esse synecdochen integri & generis. Resp. Piscatorem & quotquot cum illo faciunt, manifestum admittere petitionis principij Elenchum. Nam verba textus clariora sunt, quam ut ejusmodi sophistica eludi queant. Exponitur enim adventus filii hominis finis, qui est servare quod perierat, anne soli electi perierunt? Inconcussa ergò manet propositio hæc è visceribus textus eruta: qui perierunt ad ipsos sese extendit finis adventus Christi, ac Dei φιλανθρωπία. Soli electi non perierunt. Ergò ad solos electos sese non extendit divina φιλανθρωπία.

5. Ad prosyllogismum quod attinet, Christum loqui de ovibus suis, hoc est electis. Quia vocabulum ovis solos denotet electos. Respondeo vocabulum ovis non uno modo in sacris literis usurpatur. Sumitur enim vel propriè ut *1. Sam. 25. v. 4.* & passim.

impropriè

impropriè seu Metaphoricè, idq; vel in sensu opposito, quando oves hircis opponuntur ut *Matt. 25. v. 32.* Et tum largimur appellatione ovium solos denotari electos: vel in sensu absoluto, & tum non semper vox ovis solos denotat electos, imprimis quando talia prædicata adduntur, quæ solis electis non competunt V. G. quando *Esa. 53. v. 6.* dicitur: omnes nos quasi oves erravimus, unusquisq; in viam suam declinavit. Quæritur an nomine ovium soli exprimantur electi? id autem falsissimum esse, addita periphrasis ostendit: errare enim & in viam suam, divinæ viæ oppositam declinare, non est tantum electorum, sed imprimis impiorum in genere nota, ut ex *Psal. 14. v. 2.* videre est. Unde *Calvinus* locum Esaiæ exponens *pag. 396* ait: Neminem autem hic excipi videmus; cum omnes prophetæ comprehendat. Totum enim *genus humanum perierat. Oecolampad. in Esa. 53.* ait, Hic manifeste apparet nullum esse absq; peccato. Et omnes nos opus habuisse redemptore. Ex quibus constat vocè ovis denotari illos, qui peccato infecti & redemptore proinde opus habebant, sive ut Calvinus ait: exprimi totum genus humanum, adeo ut nullus excipiatur. Videatur & locus *Matth. 10. v. 16* ubi vox ovis non potest solos notare electos, ob Judam proditorem reprobum. Et hæc dicta de tertio fundamento sufficiant. IV.

6. Quartum sententiæ nostræ fundamentum depromimus ex dulcissimâ Christi, hominum peccato oneratorum invitatione ex *Matth. 11. v. 27.* Quicunq; serio invitat omnes peccato infectos & onustos, Ille omnium illorum vult salutem. At salvator noster omnes peccato infectos & onustos serio invitat. Ergò illorum vult salutem. Excipiunt quidem communiter adversarii nostri ut ex *Beza Resp. ad acta coll. pag. 222. Tossano prælectione in Matth. p. 192. Calvin. in Harmon. p. 145. Piscat. in h. l. p. 116.* Et in Libro de grat. passim, aliisq; plurimis videre licet, per oneratos & laborantes illos tantum intelligi, qui onus peccatorum sentientes ingemiscunt & gratiam Dei expetunt.

7. Verum exceptio hæc trita licèt sit in schola nobis contradicentium, minus tamen vera est. Primò enim expressæ repugnat literæ Christi non illos tantum peccatorum onus sentientes eosq; levari se cupientes, sed omnes laborantes & oneratos invitantis.

At

At inquit Piscator participia κοπιῶντες καὶ πεφορτισμένοι illud indicat: notantur enim tales non simpliciter laborantes, sed ad defatigationem usq; Hac enim emphasi, si Piscatori credimus, differt τὸ κοπιᾶν à verbo πονεῖν quod in genere significat laborare. Et πεφορτισμένοι illi sunt, qui onus peccatorum sentiunt, & sub illo tantum non succumbunt. Hæc Piscat.

8. Verbum κοπιᾶν non tantum notare laborem ad defatigationem usq; susceptum, ipse *Beza in Not. ad* N. T. fatetur ad *Loc. Matth. 6. v. 28.* ubi ait κοπιᾶν in genere esse πονεῖν vel ἐργάζεσθαι Confundit ergò piscat. laborare & oneratum esse, cum eo quando quis laborem & onus sentit, illoq; se premi agnoscit. Sicut aliud est: cœcum esse spiritualiter, & aliud cœcitatem illam agnoscere *Joh. 9. v. 40. 41.* Nec vox πεφορτισμένοι Piscat. juvat, verbum enim φορτίζω in genere notat onero *Luc. 11. v. 26.* & nomen φορτίον generasse est quodvis onus, sive sentiatur sive non sentiatur notans *Matth. 11. v. 30. c. 23 v. 4. Gal. 6. v. 5.*

9. Secundò repugnat piscat & complicum glossa aliis, iisq; clarissimis scripturæ locis. Deus enim non tantum illos vocat, qui vocationi obediunt, sed & qui venire recusant *Prov. 1. v. 24.* extendit manus suas tota die ad populum contumacem & rebellem, *Isa. 65. v. 2.* qui non vult venire, *Matth. 23. v. 37.* sed servos suos contumeliis affectos occidit, *Matt. 22. v. 6.* conf. *Jer. 7. v. 8. c. 2. v. 13. cap. 25. v. 4. Actor 13. v. 46.* Et passim in sacris literis. Unde evidenter colligitur, laborantes & oneratos non illos solum esse, qui verâ pœnitentiâ peccatorum onus sentientes, ad Christum medicum confugiut: sed & illos simul intelliqui Deum vocantem malitiosè contemnunt & cor suum adamantis instar obdurant. *Zach. 7. v. 11.* Neq; est ut quisquam recreationis vocem cum *piscat ex vol. 2. p. 93.* urgeat; cum illa non de actu ipso, (quem sæpe malitia hominum impedit vide, *Jer. 6. v. 16.*) sed propensâ voluntate Christi intelligenda sit. Unde argumentum à refocillatione desumptum meritò invertimus, & contra adversarios urgemus hoc modo: Illi omnes intelliguntur, quos Christus ideò venire vult, ut refocillentur spiritualiter, id est ab onere peccatorum conf. *Psal. 38. v. 5.*

libe-

liberentur. At non solos electos, sed omnes omnino homines Christus vult venire, ut refocillentur spiritualiter. Ergo non soli electi intelliguntur. Minor quæ τὸ κεκμῶμενον continet, non solum ex antea allegatis locis ὀφθαλμοφανεῶς patet; sed & insuper ex dictis sequentibus constat, vide, 2. *Reg.* 17. v. 13, 14. *Esa.* 50. v. 2. c. 63. v. 4. *Apoc.* 2. v. 21.

10. Tertiò interpretatio Piscat. ejusq; assectarum verbis immediatè subsequentibus reclamat, postquam enim Christus omnes peccatorum mole onustos, blandâ vocè invitavit, statim subjungit: tollite jugum meum, & discite à me quod mitis sim, & humilis corde. Unde colligitur, illos omnes hic intelligi, qui Christi jugum super se debent tollere, & ab ipso quod mitis sit & humilis corde discere. At non soli electi jugum Christi super se debent tollere, & ab ipso discere. Constat enim doctrinam Christi, crucem & calamitatem comites habentem, non solis proponi electis, vide cum mandatum, *Matth.* 28. v. 9. *Marc.* 16. v. 15 tum executionem mandati *Act.* 13. v. 46. 6. 17 v. 5. 32. c. 28. v. 24. 1. *Cor.* 1. v. 23. & passim.

11. Quartò adversariorum nostrorum explicatio propriis repugnat principiis, quæ hæc sunt: electos non semper esse membra Ecclesiæ, sed tum demum, quando convertuntur & regenerantur per spiritum S. ita *Ursin in Catech. p.* 217. Item electi, tum demum fiunt sancti, quando convertuntur, ut idem ait, allegato loco. Si itaq; illi tantum qui peccata sua agnoscunt, & ad Christum confugiunt: sive ut Marloratus in h. l. ait: qui subonere gemunt & pro tranquillandâ conscientiâ laborant; voculâ omnis exprimuntur, sequitur multis electis ad Deum præcludi aditum, cum non semper illi qui ex electorum numero sunt, sint resipiscentes & peccatorum onus sentiant, quod exemplis Pauli aute conversionem, Davidis tempore adulterii & homicidij, Matthæi adhuc publicani, & aliorum probari posset. Ex hisce ergò patet, argumentum nostrum pro universalitate divinæ φιλανθρωπίας ex loco, *Matt.* 11. v. 29. erutum, firmum & immotum stare.

12. Quintum orthodoxæ nostræ assertionis fundamentum desumimus ex loco classico Apostoli *Rom.* 11. v. 32. unde ita argumentamur. Quicunq; voce legis conf. *Gal.* 3. v. 22. sunt concluſi sub

V.

 pecca-

peccatum: sive quos lex arguit peccati, illorum Deus vult misereri. At omnes omnino homines voce legis sunt concluſi sub peccatum. Ergo omnium omnino hominum Deus vult misereri Major est in textu. Minor præter quotidianam experientiam rx *Rom. 3. v. 9 10, 11. 12. 23.* confirmatur, concluſio itaq; ergò Deus omnium hominum vult misereri, legitimè infertur. Et tanta vis est veritatis ut *Calvinus* (& ex eo *Marloratus* in h. l.) sui quasi immemor, in expositione hujus loci dicat *p. 178.* certum quidem est omnibus indifferenter expositam esse hanc misericordiam. *Et Gualth. in Epist. ad Rom. p. 50.* Est unica & omnibus communis salutis ratio quam Deus per Evangelium *omnibus* offert. Et notandum est, ut robur argumenti eo fiat fortius, Deum concluſisse homines sub peccatum, non quod eos ad peccandum impellat, sed ut voce legis illos peccati convincat. Sicut ipse *Toſſanus* in hujus loci expositione *pag. 127.* rectè loquitur.

13. *Pelanus Libr. 2. Syntag. cap. 23. p. 632.* locum hunc Apostoli depravare annititur. Excipit enim primo Apostolum non dicere neutro genere πάντα sed τὰς πάντας Articulum verò τὰς nomine adjectivo præpositum restringere sermonem ad eos de quibus Apostolus disseruerat. Eadem habet *Piscat. Libr. de Grat. p. 9. & in Nov. Testam. p. 935.* Respondeo argumentum illud quo & ipse utitur *Bellarm. lib. 3. de pont. Roman. cap. 2. p. 2. 5.* nullius esse roboris. Nam à particulari fit illatio, hoc modò: aliquando articulus restringit. Ergò semper! Quod enim non semper restringat multa scripturæ loca evidenter arguunt. Vide *Matth. 2. v. 35. Marc. 2. v. 20. Luc. 4. v. 4.* Et ipse *Beza* in Not. ad Nov. Test. p. 83. fatetur usum Articuli præpositivi esse varium. *Piscator* in Indice Græco Nov. Testam. lit. O itidem variè articulum præpositivum sumi affirmat. Quod verò hoc in loco articulus non possit sumi limitativè sed emphaticè & universaliter res ipsa indicat. Nam illi voce τὰς πάντας exprimuntur, quos lex peccati reos arguit. Num pauci illi sunt, an verò omnes nullo nullo inquam excepto? Scriptura hic nullum communi lege naturæ natum excipit ut *Thes. 2.* dictum est, Unde *Gualth.* in h. l. Nota, ait, omnes sub incredulitate & peccato concluſos esse. Latet in omnibus peccati lex quæ ad malum pronos ad bonum tardos & impotentes facit. *Parum in cap. 11. ad Rom. pag. 1009.* explican

plicans illa verba: Conclusit Deus omnes &c. dicit indicari hic universalem contumaciam & miseriam. Et omnes homines conclusos teneri, sub naturali cœcitate. Argumentum ergò nostrum *Thes. 2.* formatum inconcussum manet.

14. Secundò Polanus allegato loco ait, in Græco textu esse vocem ἀπειθείας non ἀπιστίας Et *Beza* inquit *part. 2. Respon. ad Acc. coll. pag. 223.* Apostolum ἀπείθειαν statuere pro termino à quo omnes isti ad misericordiam vocentur. Contumaciam verò prædicationem cui contumaciter resistitur, includere. Respondeo, Ipse Polanus agnoscit vocem ἀπειθείας & ἀπιστίας sese mutuo consequi. Et ἀπειθείας nomen non solam notare contra Evangelium contumaciam, id arguit primò vox ἁμαρτίας; in loco paralelo *Gal. 3. v. 17.* posita. Deinde verbi πιστεύειν καὶ ἀπειθεῖν permutatio, *Joan. 3. vers. 18, 16.* Tertio aliorum locorum collatio *Ephes. 2. vers. 2. cap. 5. vers. 6. Col. 3. v. 6.* ubi filij ἀπειθείας & illi vocantur quibus Evangelium actu nondum fuit annunciatum: ἀπειθεῖς ergò in genere dicuntur ἄπιστοι. Proinde & hæc adversariorum nostrorum instantia nequicquam umbone pependit.

15. Tertiò excipit *Polanus* Deum non omnes & singulos specialiter sua misericordia dignari: nam inquit contradicit scriptura illis in locis in quibus docet Deum misereri, cujus misertus fuerit *Exod. 33. v. 19. Rom. 9 v. 5.* Respondeo. distinguendo inter ipsam ad miserendum propensionem? & inter ipsam misericordiæ actum. De priori inter nos & adversarios quæstio est; non verò de posteriori: Largimur enim culpa & vitio hominum misericordiæ divinæ actum sæpius impediri. Hinc autem malè infertur: Deus ob hominum culpam non actu omnium miseretur. Ergò non vult omnium misereri. In specie, quod attinet allegata dicta, nihil aliud in iis dicitur, quam Deum ex liberrimâ suâ voluntate misereri quorum miseretur. Hinc verò malè colligitur. Deum ex simplici suo decreto non velle misereri aliquorum, sed illos sine incredulitatis respectu, ut Bucanus loquitur de prædest. p 402 præteriisse, quadere, volente Deo, pluribus in resolutione argumentorum nostrorum adversariorum dicetur.

16. Quartò *Polanus* ita colligit. Multi currunt latâ viâ ad exitium *Matth. 7. v. 13.* & ad supplicium abituri sunt plurimi, *Matt. 25. v. 46.* Et contra dicunt exempla tot damnatorum, ut Caini Corachi, Dathanis, &c. sic ergò exponendus est Pauli locus, ut cum aliis scripturæ locis & exemplis non pugnet. Respondeo. Confunditur hominum malitia, cum Dei de salvandis hominibus propensa voluntate. Hominum malitiâ, plurimi heu damnabuntur: hinc vero non sequitur: ergò Deus illorum, voluntate scilicet antecedente, non voluit salutem. Sic *Matth. 22. v. 2. & seqq. Luc. 14. v. 17.* & *seqq.* Deus serio voluit, ut omnes nuptiis spiritualibus interessent, licet multi invitatorum emanserint. Negatio itaq; actus ipsius misericordiæ, non infert negationem ipsius propensionis, ut ex hactenus dictis clarè patet. conf. *Esa. 5. vers. 9. Jerem. 5, vers. 1. cap. 8. vers. 8.* & passim.

17. Quintò *Beza* ut dicti allegati robur enervet, ait *Resp. ad Acta coll.* titulo de prædestinatione *p. 227.* locum *Rom. 11. v. 32.* in Epist. *ad Gal. 3. v. 22.* ad solos credentes restringi. Non est autem inquit omnium fides, sed eorum quos demum Deus trahit. Hinc ergò concludit *Beza.* Quicquid restringitur ad solos credentes, illud non est universale. At misericordia Dei restringitur ad solos credentes: ergò non est universalis. Respondeo. confunditur intentio divinæ misericordiæ, cum ejusdem applicatione. In epist. ad Gal. non dicitur, quorum omnium Deus velit misereri; id enim fit *Rom. 11. v. 32.* sed quibus misericordia Dei actu applicetur. Hos solos credentes esse rectissime affirmatur. Negamus itaq; Minorem. Nam in loco Epist. ad Gal. misericordia divina ex Dei intentione considerata non restringitur. Aliud enim est misericordiæ divinæ coarctatio, & aliud ordinis divinitus servandi ostensio. Posterius fieri in loco ad *Gal. 3. v. 22.* asserimus & urgemus. Prius verò negamus; & licet nos simus increduli, ille tamen fidelis (misericors) manet, negare seipsum non potest. *2. Tim. 2. v. 13.*

18. Sextum orthodoxiæ nostræ fundamentum sub ministrat locus Apostoli ex *1. Tim. 2. vers. 4.* unde ita argumentamur. Quoscunq; Deus vult salvari & ad agnitionem veritatis pervenire. illos quoq; omnes suâ amplectitur misericordiâ. At cunctos homines vult

vult salvari, & ad agnitionem veritatis pervenire. Ergò illos omnes suâ amplectitur misericordiâ, Major suâ radiat luce, Minor in allegato loco fundatur. Conclusio itaq; legitimè infertur.

19. *Beza in coll. Mompel. p. 110.* regerit omnium hominum appellatione, intelligi non singulos generum, sed genera singulorum, idq; probat ex Apostoli scopo & orthodoxorum patrum, imprimis Augustini testimonio. Et insuper hanc suam responsionem stabilit cùm *Part. 2. Resp. p. 193.* tùm in Not. ad Nov. Test. ad hunc locum. Exceptio hæc in schola nobis contradicentium, utramq; facit paginam, ut videre est ex Calvini commentario in h. l. Marlorato, Piscatore & aliis, ideo diligenter, quid roboris habeat, considerandа. Respondeo in genere, neminem nostratium negare, loca quædam biblica pro subjectâ materiâ ita esse explicanda, ut nolent non singulos generum, sed singulorum genera, ut *Matth. 2. v. 25. Luc. 6. v. 36. Act. 10. v. 2.* & alibi passim. At quæ consequentia: nonnunquam signum universale, exigente id subjectâ materiâ, est restringendum. Ergò idem fieri debet in locis, Dei amorem erga genus humanum exponentibus.

20. Quod in specie attinet locum allegatum, argumentum *Bezæ* invertimus, & ex Apostoli scopo contrarium evincimus. Paulus enim quos Deus salvari vult, & ad veritatis agnitionem pervenire cupit, illos esse ait, pro quibus I. orandum. *v. 1. 2.* Qui omnes in eminentiâ constituti *v. 2. 3.* quos Christus patri reconciliavit *v. 3. 4.* pro quibus Christus solvit ἀντίλυτρον *v. 6. 1.* & quibus Paulus beneficia illa jam enumerata verbo debebat offerre. *v. 7.* At non pro quibusdam tantum orandum, ut exempla Christi, *Esa. 53. v. Luc. 23. v. 24.* Stephani *Actor. 7. v. 60.* & aliorum comprobant. Et ipse Calvinus in loci hujus exegesi non diffitetur, dum conceptis verbis ait: Orationes jubet (Apostolus) non pro fidelibus modo concipi, sed pro universo genere humano. Et post pauca: Paulus jubet Ephesios suis precibus complecti omnes mortales, nec eas ad corpus Ecclesiæ restringere. *Gualtherus* in h. l. quærens pro quibus sit orandum, respondet: Charitas in omnes extenditur. Ergò pro omnibus orandum quoq; est. *Marloratus* inquit: Christianorum est imitari exemplum Dei patris & Jesu Christi filii. Ille autem finit

oriri solem suum super bonos & malos,& pluit super justos & injustos, *Matth. 5. v. 45.* Hic verò etiam pro persecutoribus oravit *Luc. 23. v 24.*

2 21. Deinde reges & omnes in eminentia constituti,non omnes fuerunt electi. Deus tamen & illos,dicente Apostolo, voluit salvari & ad veritatis agnitionem pervenire, licet in electorum numero non sint reperti. Quod autem non singuli gentium reges & omnes in eminentia constituti fuerint electi, constat ex eo quod non omnes ad Christum conversi, sed plerique infensissimi fuerint Christi hostes, adeo ut rectè dixerit *Calvin.* in h. l. Quotquot illo tempore magistratus, totidem quasi jurati Christi hostes. Quod autem in specie Apostolus jussit fieri preces pro magistratu adhuc impio;causa non est,quam Beza & alij ponunt,ut singulorum genera exprimat, & singulos generum excludat: sed alia hujus rei subest ratio, quam quia ipse Calvinus attingit malo illam verbis ipsius referre: poterat obrepere,inquit, ista cogitatio non esse pro illis orandum, qui totas vires opesq; suas confertent ad oppugnandam Christi regnum, cujus propagatio inprimis optanda est. Occurrit autem Apostolus, ac diserte jubet pro illis etiam precari.

3 22 Tertio. Christum non singulorum genera sed singulos generum patri reconciliasse,suo tempore volente Deo ex professo probabitur. Hac vice sufficiat Christum esse mortuum non pro illis solum qui salvantur,sed & qui æternum pereunt *Rom 14. 15. v. 1. Cor 8. v. 11.* Qui ergò motuus est cùm pro salvandis,tùm pro damnandis ille non solum singuios generum, sed & singulorum genera patri reconciliavit. At prius est Ergo. Piscator quidem respondet in Not. Bibl. ad locum primum,Apostolum loqui de ijs qui ex lege charitatis pro ovibus Christi habentur. Ad alterum regeri, posse perire fratrem,pro quo Christus mortuus sit,quantum per alium stet. Respondeo Apostolum non loqui de judicio Charitatis sed indubitatæ veritatis.Sine ulla enim conditione loquitur: ne perdito illum pro quo Christus mortuus est. Deinde argumentum Apostoli hoc pacto infirmatur. Potuisset enim quis Apostolo regessisse: tu qui scis Christum pro illo mortuum esse, Ut nil dicam Apostolos de judicio charitatis verba facientes,ita quandoq; loqui, ut ex

ipsa

ipsâ textus circumstantiâ satis colligi possit, de quo judicio sermo sit. V. G. 1. *Pet. 5. v. 12.* Apostolus de Sylvano agit quem fidelem appellat, quia vero dubium erat, an talis ille sit, addit Petrus ὡς λογίζομαι ut ego arbitror, Exceptio Piscat ad locũ secundũ itidem Apostoli scopo repugnat, Si enim Apostolus tantum de hominum conatu & non simul effectu possibili locutus fuisset, facile responderi potuisset: vana est sine viribus ira, faciant alij quicquid velint, fremat licet orbis & orcus nunquam tamen illi, pro quibus Christus mortuus perire possunt. At Apostolus paulus summum periculum urgens, alio modo proceditajens: conscientia infirmi, tuâ scientiâ permovetur ad edendum ea, quæ simulacris immolata sunt, & ita quia dubitante ac hæsitante conscientia id facit, peribit (non additur quantum in te est) frater in tuâ scientiâ proprer quem Christus fuit mortuus. Et subjungit Apostolus: Sic autem peccantes in fratres & vulnerantes illorum conscientiam infirmam in Christum peccatis. Unde Calvin. in h. l recte ait: nihil indignius, nos flocci pendere eorum salutem, qui tanto pretio redempti sunt.

23. Quartò Christum solvisse pretium redemptionis pro omnibus textus aperte dicit. Et illi universalitati nos tam diu inhæremus, donec ex textu aut locis verè parallelis probatum fuerit contrarium. Cum enim Spiritus sanctus ab expressâ literâ non discedit, nec nostrum est eandem deserere. Qua de re suo loco cum Deo, uberius. 4.

24. Quinto deniq; Paulus non tantum singulorum generibus sed & singulis generum beneficia morte Christi parta annuntiare debuit, quod non solum testatur functio Apostolica, quam cum cæteris habuit communem *Matth. 18. v. 16. Marc. 16. v. 15 Luc. 24 v. 47.* sed & praxis Pauli idem comprobat vide, *Actor. 17. v. 13. 32 c. 18 v. 6. c. 28. v. 24.* & passim in suis Epistolis. Hinc itaq; constat exceptionem Bezæ nullius esse roboris. Patres quod attinet quos sibi favere *Beza* affirmat opponimus patribus patres. Ita enim *Chrysost. Homil. 7. in 1. Tim. 2. p. 1556.* Si omnes ille vult salvos fieri, meritò pro omnibus oportet orare. Ergo pro quibus orandum, hos Deus vult salvos fieri. At dicente Chrysost. Homil. 6. allegati loci, non tantum pro fidelibus, sed pro omnibus orandũ est. Ergo *Ambros. in 1. Tim. 2.* exponens

illa

illa verba; Deus vult omnes homines salvos fieri. *pag. 490.* inquit: Nam ubiq; qui legem omnibus dedit *nullum excepit à salute.* Idem *Lib. 2. de vocat. Gent. pag. 21.* ait: profitendum esse Deum velle omnes homines salvos fieri, & in agnitionem veritatis venire. Eodem loco *cap. 8.* his utitur verbis p. 33. sive novissima contemplemur secula sive prima, sive media, rationabiliter & piè creditur omnes homines salvos fieri Deum velle semperq; voluisse. *Theodoretum in h. l. pag. 119.* hæc habet verba: Deus vult omnes homines salvos fieri, vult enim omnes salutem assequi. Ipse *Augustinus* ad quem imprimis Beza provocat licet *Tom. 3. in Enchir pag. 249,* verbis nonnullis Bezæ (ob præconceptam de voluntate Dei absolutâ, qua de Apostolum loqui arbitratur, opinionem) suffragari videatur, verbis tamen nonnullis absolutum Calvinistarum decretum se non amplecti, eodem loco indicat, quando ait: non quod nullus sit hominum nisi quem salvum fieri velit. Sic enim intelligimus id quod in Evangelio scriptum est: Qui illuminat omnem hominem, non quia nullus est hominum, qui non illuminetur. Aut certè sic dictum est: Qui omnes homines vult salvos fieri, non quod nullus hominum esset, quem salvum fieri nollet. Eandem rem clarius adhuc *Augustinus exprimit Tom. 7.* responsione ad Articulos falso sibi impotos. *p. 816.* Syncessimè credendum est, inquit Articulo. 2. atque profitendum, Deum velle ut omnes homines salvi fiant. Siquidem Apostolus 1. *Tim.* 2. Cujus ista est sententia sollicitè præcipit, quod in omnibus Ecclesiis piissimè custoditur, ut Deo pro omnibus supplicetur, ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur, salvantis est donum. Articulo 3. inquit: omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideo creatus (quod tamen Calvin, Beza, Piscat. aliiq; absoluti decreti fabri affirmant) ut pereat. Ex hisce Augustini locis constat, eundem Bezæ partibus non favere, quod contra eundem erat demonstrandum.

25. Septimum asserendæ veritatis argumentum suppeditat locus ad *Tit. 2. v. 11.* ex quo ita colligimus. Quibus illuxit gratia Dei, ad illos sese extendit divina φιλανθρωπία. At omnibus hominibus illuxit gratia Dei. Ergò ad illos sese extendit divi-

na

na φιλανθρωπία. Ne verò more solito excipiant adversarii, in Minore intelligendos esse, non singulos generum, sed singulorum genera. sicuti Calvin. & ex eo Marloratus in h. l. ajunt: non intelligit (Apostolus) singulos homines, sed ordines potius notat, aut diversa vitæ genera. Idem dicit Piscat. in Glossa hujus loci. Proinde ex textu probandum est, Paulum non de electis solum, sed in genere de omnibus hominibus verba facere, quando gratiam Dei Salutiferam omnibus hominibus apparuisse affirmat. Illis apparuit gratia Dei. Senibus qui debent esse sobrij, graves modesti &c. *vers.* 2. vetulis quæ non debent esse calumniatrices, nec vino multo servientes. *vers.* 3. Adolescentibus sobrietati ex mandato Dei studentibus. *vers.* 6. Servis, qui dominis suis parere debent *vers.* 9. At hæc omnia, non præcipiuntur electis solum. Ergo non solis electis gratia Dei apparuit. Deinde qui debent abnegare iniquitatem, illis apparuit gratia Dei *vers.* 12. At omnes omnino homines, debent abnegare iniquitatem ut constat. Ergò omnibus hominibus apparuit gratia Dei. Tertiò. Qui ministerio Titi erant arguendi, & adhortandi, illis illuxit gratia Dei. *vers.* 1. reprobi ministerio Titi erant arguendi & adhortandi. Ergo illis illuxit gratia Dei. Quartò ex *Bezæ* notis in N. T. ad hunc locum ita colligimus. Qui antea immundi & peccatorum tenebris sederunt, illis apparuit gratia Dei. Major est ipsius *Bezæ* ita scribentis: opponitur φανεσθησῶ σκοτεινῶ id est mundi tenebris ante Evangelicæ lucis ortum. Itaq; quod ante fuit σκοτεινὸν, huic gratia Dei illuxit, quem admodum *Luc.* 1. *v.* 79. quoq; dicitur. Illud verò non solum electorum, sed & reproborum est attributum vide *Joh.* 1. *v.* 5. *Ephes.* 4. *v.* 18. 1. 5. *v.* 8. Ergo. Hisce accedit ratio argumentandi Apostolica quæ hæc est: Senes & Adolescentes debent esse sobrij. & servi Dominis suis subjecti. Quia gratia Dei illuxit omnibus hominibus. Fingat quis appellatione omnium hominum solos electos intelligendos, quæ esset concludendi ratio: vos senes, anus, adolescentes, servi omnes quotquot estis, castè, piè, sobriè debetis vivere; quia solis electis gratia Dei apparuit. Num hæc firma illatio, medium terminum fingere arctiorem ipsâ quæstione probandâ? id considerans *Gualtherus* in explicatione loci *Tit.* 2. *v.* 11. ubi agit de peccatorum remedio. Et quærit ad quos illud remedium pertineat? Re-

 spondet

spondet vero ad omnes homines. Quia & peccatum Adami ad omnes redundavit, & Christus neminem excludit, quis ergò desperet? Hæc Gualtherus.

26. Tandem octavum orthodoxæ sententiæ argumentum formamus ex 2. Petr. 3. v. 9. unde ita argumentamur: quos Deus vult εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι ad illos sese extendit divina φιλανθρωπία. At omnes omnino homines, Deus vult εἰς μετάνοιαν χωρῆσαι. Ergò ad omnes omnino homines sese extendit divina φιλανθρωπία. Major certissimæ veritatis est. Minor quæ controversa est, fundatur in hoc allegato loco. Excipiunt quidem, locum hunc non agere de hominibus in genere, sed de solis electis ut videre est ex Beza in h. l. Et Piscat. in Lib. de Grat. Dei p 23. Verum glossam hanc adversariis nostris per quam familiarem, ipsa textus inspectio elidit. Illos enim intelligit 1. ad quos scribit. Non autem solis electis, sed toti Ecclesiæ visibili ex electis & reprobis constanti epistolam hanc inscripsit. c. 1. v. 9. c. 2. v. 1 2. quorum causa patiens est Deus, expectans num tandem velint à malitiâ desistere & Christum verâ fide amplecti. Arqui non propter renatos & electos solum est patiens, sed propter illos imprimis, qui divitias bonitatis tolerantiæ lenitatisq; contemnunt Rom. 2. v. 4.

27. Regerit quidem Piscat. supra allegato loco Petrum dicere patiens est erga nos (credentes scil. & qui fidem profitemur) nolens aliquos (nempè nobis) perire; sed omnes (nempe nos) ad resipiscentiam tendere. Respond. familiare est Apostolis uti κοινοποιίᾳ ut eò confidentius & fructuosius auditores suos increpare & corrigere queant. Licet itaq; Apostolus seipsum includat, non tamen inferre licet: ergò de solis electis agitur. ut ex multis scripturæ locis manifestum est. videantur hæc pauculissima Gal. 4. v. 3. 1. Cor. 15. 32. 1. Petr 4. v. 3. Et scriptura manifestò indicat, Deum non solum patientem esse erga electos, sed & impios & reprobos ut clarissima restantur loca Ezech. 3. v. 18. 19. c. 33. v. 9. Matth. 23. Luc. 7 v. 30. Act. 13. v. 40. & passim. Atque hæc pro ratione instituti ad confirmationem orthodoxæ nostræ sententiæ attigisse sufficiant, quæ adeo clara sunt, ut nonnulli adversariorum veritati huic calculum addant. Melanch

Ianthon quem pleriq; adversariorum suis favere partibus existimant (unde Pezelius in Epistola Dedicatoria locis communibus Strigelij præmissa illum appellat virum de Ecclesia Christi optimè meritum, cujus memoria apud omnes pios & bonos sit in benedictione) apertè scribit in *1. Tim. 2. cap.* promissio est universalis, juxta hæc dicta: venire ad me omnes. Et unde certitudo esset si promissio non esset universalis &c. Assertionem hanc Philippi de incertitudine veram esse, vel ex solo constat *Piscatore* ille enim *volum. 2. disput. p. 205.* Syllogismum practicum formaturus, ita ait: imo sic potius colligendum: gratia nonnullis offertur animo communicandi: *ergò fieri potest*, ut & ego sim in illorum numero. Quid si Diabolus regereret: à posse ad esse non valere consequentiam. Quid homo intentatione cum Davide constitutus *Psal. 31. v. 23.* responderet?

28 In Edit. ultima locorum communium à Pezelio maximè commendata, Loco de *promissione Evang. pag. 195.* idem Melanchthon inquit: sicut necesse est scire Evangelium esse gratuitam promissionem ita necesse est scire promissionem universalem esse, hoc est offeri & promitti omnibus hominibus reconciliationem. Hanc universalem tenere necesse est, adversus periculosas imaginationes de prædestinatione, ne disputemus hanc promissionem ad paucos quosdam alios pertinere, non pertinere ad nos. Et post pauca: Nos verò statuamus Evangelij promissionem *universalem* esse. Sicut enim prædicatio pœnitentiæ *universalis* est ita & prædicatio remissionis peccatorum *universalis* est. Idem repetit in loco de prædestinatione *p. 257.* ubi ait simpliciter intelligendum esse, Deum velle omnes homines salvos fieri & ad agnitionem veritatis pervenire *Strigelius* in locis communibus loco de prædestinat. *p. 289.* ait: Est ad hoc diligenter considerandum, utramq; concionem universalem esse, concionem pœnitentiæ & concionem gratiæ. Arguit Deus peccatum in omnibus hominibus in hac depravatione naturæ. Rursus etiam promissio universalis est. *Aretius* in L. C titulo de promissionibus divinis *p. 102.* Quanquam universaliter salus omnibus proponatur, tamen non applicatur nisi credentibus. *Musculus* in loco de dispensatione *Grat. Dei p. 161.* parata est gratia Dei & exposita *toti orbi*, perinde ac solis beneficium calorem & splendorem suum passim

passim effundentis omnibus est paratum. *Bulling. in 1. Tim. 2.* vult Deus cunctos homines salvos fieri *neminem excludit à salute.* Et addit: proinde quod alii veniunt non esse humani meriti; sed divinæ gratiæ: quod verò alij non veniunt humanæ malitiæ. Imo ipse *Pareus* in Libro suo votivo, quem Irenicum appellat, expressè fatetur promissiones gratiæ esse universales, ac pertinere ad omnes, quoad prædicationem, Invitationem & mandatum credendi *pag. 142.* Illud si verum est, nostra hactenus producta argumenta inconcussa manent. Et quamvis adversarij anguillæ instar elabi conentur fictis nonnullis distinctionibus, de quibus volente Deo futurâ disputatione agemus uberius, sufficiat tamen nobis aperta veritatis, quantum ex verbis apparet, approbatio. Quæ in adversariis nostris, hoc in casu cauteriatæ conscientiæ indicium est. Nos hic concludentes, patri misericordiarum φιλανθρωπίαν nobis suam offerenti, supplici pectore agimus gratias, quod nos favore suo plusquam paterno complecti, inq; regnum filij sibi dilecti transferre voluit. Faxit is ut oblatâ gratiâ ita utamur, quò tandem è regno gratiæ evocati, gloriâ æternâ coronemur. Amen.

בּ

I.

COnfirmatâ Assertione orthodoxâ nostratium Ecclesiarum superioribus disputationibus, consequens est (ut contraria juxta se posita clarius elucescant) considerare, contradicentium argumenta, quibus veritatem divinam impugnant. In genere distinctiones nonnullas producunt, quibus probare thesin suam volunt. *Beza* ad Acta Colloq. Mompel. loco de prædest. *p. 169.* inter vocationem *externam & internam* discrimen facit, & ait Deum vocationem internam, quam æternum & arcanum consilium vocat, nec Prophetis olim, nec Apostolis postea, nisi nonnunquam ex peculiari revelatione, patefecisse.

2. Respondeo: vocationem aliam posse dici externam: aliam internam dextro sensu concedimus. At juxta explicationem *Bezæ*, ut & *Polani* aliorumq; negamus, Deum vocationem internam ita restringere, ut nos omnes quos externè per suos ministros vocat, & ad gratiæ participationem invitat, non simul internè (respectu divinæ voluntatis & seriæ intentionis) vocet, & salutem eorum unicè expetat, juxta Scripturæ loca *Esa. 65. v. 12. Prov. 1. v. 24. 25. Matth. 22. v. 7 Joh. 1. v. 9.* & passim.

3. Deinde & hoc inficiamur, Deum vocationem internam nec Prophetis olim, nec Apostolis patefecisse. Christus enim omnia quæ audivit à patre (ad salutem nostram necessaria) nota fecit. Apostolis *Joh. 15. v. 15.* qui illa aliis revelare debebant *Matth. 10. v. 27.* Unde ipsi idem fatentur quod omne Dei consilium suis auditoribus revelaverint. *Act. 20. v. 27.* Ut nil dicamus sententiam hanc Bezæ Scripturæ perfectioni repugnare, quam tamen Beza ipse non obscurè contra pontificios in Not. Major. N. T. ad locum. *2. Tim 3. v. 16.* rectè defendit. Non verò Bezam juvat Jonæ indignatio *Jon 4. v. 2. 3.* nihil enim aliud inde probatur, quam Prophetam hac in parte peccasse; quippe qui ex impatientia in hæc verba eruperit Unde ipse Deus, interrogatione utens, quæ hoc loco vehementissime negat conf. *v. 9.* hujus capitis *Amos 3. v. 3. 4. Mich. 6. v. 3.* Jonam

increpat. v. 4. Quod ipse piscator in Notis ad Prophetam Jonam non diffitetur dum ait: In Jona proponitur exemplum infirmitatis atq; imperfectionis sanctorum &c. Item: Jonas longè graviorem reprehensionem fuerat meritus.

4. Piscator modò allegatus aliud κρησφύγετον ii. [illegible]it dicit enim ad locum illum insignem *Matth. 23. v. 37.* distinguendum esse inter *voluntatem Christi divinam & humanam.* Christum quidem dicere, se Hierosolymitanos sæpenumerò convertere voluisse, sed illud intelligendum esse de voluntate ejus humanâ, secundum quam tanquàm minister circumcisionis fideliter laborarit in convertendis Judæis, identidem illis prædicando pænitentiam & remissionem peccatorum. Et expressis verbis subjungit: Christum Hierosolymitanos non convertisse, quia non voluerit voluntate divinâ.

5. Resp. Piscator quidem satis audacter, Christum non nulla voluntate humanâ voluisse asserit, quæ voluntate divinâ noluerit, sed unde hoc suum commentum probabit? Christus ipse qui veritas est. *Joh. 14. v. 6.* contrarium disertis vrrbis affirmat *Joh. 4. v. 34.* ajens: meus cibus est ut faciam quod vult is qui misit me, & perficiam opus ejus. Et doctrina quam Christus proposuit, eadem fuit cum doctrina patris *Joh. 7. v. 16.* Unde Christus quæ audivit à patre, hæc locutus est in mundo. *Joh. 8. v. 26. 38. c. 14. v. 24.* Et collatio locorum testatur, Christum non tantum ut hominem, sed & ut Deum, conversionem Hierosolymitanorum seriò voluisse quando *Luc. 11. v. 46.* dicitur sapientiam Dei dixisse, quod cives Hierosolymitanos congregare voluerit: conf. ipsum Calvin. in Harmonia Evang. p. 291. Et *Luc. 7. v. 30.* Pharisæi consilium Dei (non solum humanæ Christi naturæ) sprevisse dicuntur, videantur alia loca. *2. Reg. 17. v. 13. Jer. 29. v. 19. c. 44. v. 4.* & passim. Hinc ipse Gualterus in locum *Matth. 23.* Piscatorem refutat inquiens: Quoties volui &c. quasi dicat: non nunc demum incipio. Olim sub Abrahamo, cæpi *Genes. 17.* sub aliis patribus, sub Mose Prophetis, tandem ipse homo factus sum. Ipse Beza in h. l. quamvis Piscat. astipulari videatur, explicando locum de externo ministerio; tamen allegatum effugium refellit, dicendo: Christum jam indè à promissione Abrahamo facta (quando nondum homo erat *Gal. 4. v. 4.*) de servandâ gente Judæorum sollicitum

ficitum fuisse. Marloratus explicationem Piscat. itidem infringit, ita in h. l. ajens: Christus non de suo tempore loquitur; sed significat se id, & antequam esset homo natus sæpe voluisse.

6. Consideretur autem Piscat. sententia paulò exactius, & cuivis magna ejusdem absurditas patebit. Dicit Piscator Christum voluntate humana quædam voluisse, quæ non voluit voluntate divina. Anne ergò voluntas Christi humana divinæ contraria? Et quomodo illius voluntas aliud quid velle potuit, qui nos quotidie orare vult *Matth. 6. v. 10. & Luc. 11. v. 2* ut fiat voluntas patris? Respondet Piscator, moraliter nunquam voluntatem Christi humanam divinæ fuisse contrariam. At Logicè contrariam interdum fuisse, quatenus Christus voluntate humanâ voluit, quod voluntate divinâ noluit. Resp. petitur principium, & incertum per æquè incertum probatur; negamus enim Christum secundum naturam humanam quædam voluisse, quæ non voluit voluntate divina; id enim asserens Christum non sine insigni impietate & blasphemiâ peccatorem constituit, contra Scripturam *Joh. 8. v. 46. Hebr. 4. v. 15. c. 7. v. 26.* verè enim dicit Calvinus in Harm. Evang. p. 329. Nam si unica boni & æqui regula est Dei voluntas, sequitur affectus omnes qui ab eo dissident, esse vitiosos. Et ita quantum in se est totum redemptionis nostræ opus infringit: si enim vel uno tantum Christus pollutus fuisset peccato, non potuisset redemptionis nostræ λύτρον καὶ ἀντίλυτρον persolvere; (utpote ipse indigens redemptore) quod tamen Scriptura affirmat. *Matth. 20. v. 28. 1 Tim. 2. v. 6.*

7. Distinctio Piscat. dubium hoc non dirimit, si enim verum esset, Logicè interdum voluntatem Christi humanam divinæ fuisse contrariam, id est, explicante Piscatore, Christum voluntate humanâ voluisse, quod voluntate divinâ noluit, tum certè ex illa contradictione Logica: Homo vult, Deus non vult, indubitatò infertur contrarietas moralis, proinde non sine blasphemiâ voluntas Christi humana Logicæ divinæ dicitur contraria.

8. Et patet rei veritas illustratione exempli, πρωτοπλάστου. Deus dederat mandatum de non comedendo fructu vetito. Voluntas ergò Dei seria fuit, ne homo comederet ex arbore vetita. Hominis

Hominis à Diabolo seducti, vide 2. Cor. 11. v. 3. voluntatis huic contraria fuit. Nascitur hinc primo contrarietas Logica: Deus non vult, At homo Diabolo auscultans vult. Posita autem contradictione illa Logica, statim subsequitur contradictio moralis sive Ethica, dum homo eligit quod Deus certâ lege vetuit. Et ita in omni peccato sese res habet, sicut ex inductione rem hanc penitius expendenti, constare poterit.

9. Prosyllogismi Piscat. duo sunt. Primus petit principium; conversionem enim Judæorum Christum voluntate humana voluisse; voluntate autem divina noluisse, gratis dicitur, sicuti ex locis Thes. 5 allegatis videri licet. Quibus addi possunt Esa. 63. v. 10. Jer. 18. v. 11. 15. Zach. 7. v. 9. 11. 12.

10. Secundus agit de transitu poculi seu omissionis passionis Matth. 26. v. 39. ubi putat Piscator voluntatem Christi humanam respectu subeundæ passionis, divinæ Logicè fuisse contrariam. Respondeo contrarietas Logica hoc loco ostendi nequit, oratio enim sive petitio Christi non est absoluta, sed ipso fatente Piscatore conditionalis: ut si possibile sit genus humanum aliter posse expiari, quàm ut ipsum oporteat mortem non simplicem sed satisfactoriam, sive iram Dei propterea gustare: pater alium satisfactionis modum decernat. Hinc ergò voluntatis Christi humanæ ac divinæ sequitur distinctio, non verò Logica contrarietas. Quod vel ipse Beza in Notis ad hunc locum agnoscit, quando ita ait: Quod additur non *significat repugnantiam voluntatis, quæ peccato non caruisset: sed diversitatem, quæ per se vitiosa non est*, ne in hominibus quidem, & insuper ex Scripturarum collatione evidenter patet, nullam hic voluntatis Christi ac Patris esse contrarietatem; testatur enim Christus ipse se propterea in mundum venisse, ut daret animam redemptionem pro multis Matth. 20. v. 28. Et Paulus humilem illam obedientiam Christi nobis imitandam proponit Phil. 2. v. 6. Imo tantum abest, Christum passionem aversatum fuisse, ut potius animo promptissimo illam nostri causa subierit, quemadmodum auctor Epist. ad Hebr. ex Psal. 40. v. 8. 9. 10. c. 10. v. 8. 9. eleganter probat, inducendo Christum ceu gigantem, qui viso hoste non trepidet, aut fugiat, sed adversarium suum animo imperterrito exspectet, eumq;

cumq; adoriatur. Ecce adsum, inquit, ut faciam Deus voluntatem tuam. Ad quæ verba *Pareus* in commentario hujus loci rectè inquit: Christus corpore humano indutus quasi servus aure perforata obedientissimus, offert se Deo Patri ad obsequium præstandum. Ita finem incarnationis suæ docet hunc esse, ut voluntatem Patris faceret. Post pauca: præcipuè voluntatem Dei specialem, ut impositum sibi munus Mediatoris promtè exequeretur, patiendo & moriendo pro generis humani peccatis. Item; Filius summâ voluntate & obsequio munus sibi delegatum obiit, nostræ salutis causa &c. Hæc. Pareus. Ipse Piscator sui oblitus, locum *Hebr. 10.* ita exponit. Commemorat duo de sacerdotio suo: primùm vocationem sui à Patre. Deinde promptum suum obsequium in vocatione illâ administrandâ. Et post paucas lineolas: promtus & paratus sum ad fungendum illo meo sacerdotio ad quod tu me vocasti. Ipse ergò Piscator cum fateatur Christum promtum ac paratum ad subeundam passionem fuisse, cur fingit contrarietatem Logicam?

11. Atque sic hactenus duo adversariorum nostrorum effugia consideravimus. Tertium est, quod vocationem aliam dicant esse *efficacem*: aliam verò *inefficacem*, ita *Polan. Lib. 6. Syntag. cap. 32.* Respondeo vocationem aliam sano & sobrio sensu esse efficacem, & aliam inefficacem nemo negat, aut negare jure potest, inficiantem quippe contraria redarguerét experientia. Verum illud dependere respectu vocationis inefficacis ab ipso solo Deo negamus. Falsum enim est vocationem quandam dici inefficacem; quia Deus decreverit certas creaturas rationales præterire, ut loquitur *Piscat. Vol. 2. disp. Loc. 12. de prædestinat. & Vol. 3. disp. 30.* Sicuti enim omnes ad sui imaginem Deus condidit in Adamo *Gen. 1. v. 27.* Ita quoq; omnes nemine excepto, in Christo restauravit dicente Apostolo *Rom. 5 v. 18. 19* Vocatio ergò quæpiam dicitur inefficax; quia homines seipsos indignos reddunt vitâ æternâ, oblatam gratiam respuentes *Act. 13. v. 46.* ac fidelibus Christi ministris contradicentes *Act. 18. v. 6*, imo ipsi Spiritui sancto resistentes *Act. 7. v. 51.* ac corda sua & facies obdurantes *Jer. 5. v. 3. Zach. 7. v. 12.* Deus interim serio vult, quos verbo suo vocat venire *Matth. 22. v. 3.* de quo loco ipse Calvin. ait *Lib. 3. Inst. c. 24. §. 8.* Est enim universalis vocatio, qua per externam verbi prædi-

cationem omnes pariter ad se invitat Deus. Et vocationem illam etiam à parte Dei fuisse efficacem, respectu seriæ voluntatis divinæ patet ex pœnis vocationem contemnentium immissis v. 7. Unde eleganter ait *August.* Responsione ad articulos falsò sibi impositos, *p. 823* Qui spreverunt voluntatem Dei invitantem, voluntatem Dei sentient vindicantem. Ex dictis constat solam atq; unicam causam impellentem reprobationis non esse divinam voluntatem, ut tamen loquitur *Piscat.* antè allegato loco *Thes. 60.* Dicimus enim cum *August. ex Tom. 7. pag. 816.* Quod multi pereant, pereuntium est meritum. Et *p. 817.* omnium quidem hominum Deus creator est, sed nemo ab eo ideò creatus est, ut pereat: quia alia causa est nascendi & alia pereundi. Ut enim nascantur homines, est beneficium: ut autem pereant prævaricatoris est vitium.

12. *Beza* aliud causæ suæ malagma quærit *Resp. ad 4ta Colloq. Memp. p. 173.* dum inter *voluntatem signi & beneplaciti* distinguit. Et voluntatem signi patefactam. Beneplaciti Secretam appellat. *Zanchius Lib. 3. de Nat. Dei cap. 4. p. 254.* eandem distinctionem his proponit verbis: prior illa & absoluta voluntas in Scholis appellatur voluntas beneplaciti: quod sic simpliciter placeat Deo, fieri hoc aut illud proinde hæc propriè appellatur voluntas Dei. Altera dicitur voluntas signi, quod scilicet præcepta & promissiones, cum conditione præceptorum servandorum signa sint. Deum sic velle: quanquam non semper, & in omnibus simpliciter vult, quod mandat aut promittit. Et illud Beza vocat dolum bonum, quando voluntate signi sive exterius patefactâ, vult aliquid, quod voluntate beneplaciti non vult.

13. Distinctio inter voluntatem signi & beneplaciti quo sensu tolerari queat explicantem vide sis *Meisn. in Anthropol. disp. 17. Thes. 25. & seqq.* Sensu verò Zinch. Bezæ & aliorum distinctio hæc repugnat multis modis fidei analogiæ. Deus namq; verax est, unde dicitur ἀληθινὸς 1. *Thes. 1. v. 9.* cum igitur voluntate signi se velle omnium misereri aperte & verè profiteatur *Rom. 11. v. 32.* Manus suas extendat ad populum contradicentem *Rom. 10. v. 21.* & vocet venire recusantes *Prov. 1. v. 24.* falsum est eundem Deum voluntate beneplaciti interveniente lapsu Adami, tot gentes unà cum liberis eorum

rum infantibus, absq; remedio horribili aliquo decreto, æternæ morti involvisse, quod tamen *Calv. Institut. Lib. 3. Instit. c. 23. §. 7.* imo velle (eodem intervenient decreto horribili) impios perire *§. 8.* quia conditus sit homo, in eam cui subjacet calamitatem *§. 7.* Et Deum reprobos eò destinasse, ut nunquam gratiæ qua serventur, vocationis nimirum, fidei & justificationis participes fiant, ut *Zanch. loquitur. Lib. 5. de Nat. Dei hap. 2. p. 554.*

14. Et consideret quis in verâ pietate distinctionis sensu adversatiorum intellectæ summam absurditatem, imò impietatem: annon enim hoc pacto Deus esset bilinguis, sibiq; contrarius qui revelato verbo paternam suam voluntatem signo verbi divini exponeret. Interim tamen voluntate occultâ ipso tandem exitu rem patefaciente, ut loquitur *Beza*, nolit id præstare quod promisit. Quid de homine diceremus (licet hoc hodie multis valde sit familiare) si juramento affirmaret, aliisq; signis se proximo suo bene cupere indicaret; interim tamen reipsa extremum illi minaretur exitium. Et quamvis os nectar promat; mens tamen aconita vomat. Laus in dictis, fraus in factis, Annon ipse homo esset Joabo & Judæ proditori similimus, ore exosculantibus, sed manu interficientibus *2. Sam. 20. v. 10. Matth. 26. v. 49.* Quid de Deo nostro benedicto in secula *Rom. 9. v. 5.* dicemus? anne illi hoc attribuemus, quod ego dum cogito solum, meritò exhorreseo!

15. Argumenta Bezæ distinctionem hanc confirmatia hæc sunt, 1. producit locum *Genes. 22. v. 12. & 16.* verba Bezæ ita habent: Deus voluntate, signi sive exterius patefacta, non tantum vult, sed etiam jubet Isaacum à Patre mactari: voluntate verò beneplaciti, ipsi Abrahamo ad tempus ignota, voluit duntaxat Abrahami fidem, illa tam insigni obedientiâ explorari. Resp. exemplum allegatum materiæ qua de controversia est, non quadrat. 1. differt objecto quod est in hoc loco corporale; externa scilicet obedientia de mactando filio. In locis controversis autem spirituale; agitur scil. de salute hominum æternâ, & quæritur: anne Deus illam serio promotam cupiat, sicuti revelato verbo per ministros indicat *2. Cor. v. 5. 20. 2.* Magna differentia est in fine & effectu utriusq; rei. In allegato loco sub voluntate signi paternus occultatur affectus, non autem hostile latitat odi-

um, seu sanguinarium & exitiosum beneplacitum. 3. Exemplum allegatum singularem aliquam respicit personam, cujus insignem obedientiam Jehova mundo manifestare, eandemq; certâ ratione imitandam proponere voluit. In locis controversis cum maximâ mundi parte agitur, & num Deus illorum salutem seriô voluntate signi sive revelatâ expetat inquiritur. 4. Ratione durationis in allegato loco magna cernitur diversitas. Statim enim voluntas Dei seria, perspecta, vel potius manifestata Abrahami obedientia, fuit patefacta v. 12 proinde 5. Distinguendum est inter *mandatum Dei serium ac probatorium.* Mandatum de immolando filio unico Isaaco, non fuit serium, id est, Deus non voluit actualem filii Abrahami legitimi immolationem, sed duntaxat Abrahami, omnium credentium Patris obedientiam, ac præcellens robur fidei mundo patefacere voluit, nobisq; ad Deo obediendum calcar addere *Rom. 4. v. 13.* Unde Epist. ad *Hebr. c. 11. v. 17.* Deum Abrahamum tentasse (tentationem vid. probationis *Joh. 6. v. 6.*) dicitur. Et radix נָסָה in pihel tentavit periculum fecit, significat *Deut. 6. v. 16. c. 13. v. 4. Esa. 7. v. 12.* & passim. Unde 70. Interpretes Ὁ θεὸς ἐπείρασε τὸν Ἀβραὰμ textum reddunt. Hinc ipse Beza in Notis ad N. T. Deum explorasse Abrahamum affirmat.

16. *Piscator* in Notis ad amicam collationem Vorstii *sect. 100. & 101.* respondet, tam fuisse hîc mandatum quam tentationem, quia textus utrumq; per se, & absq; ullâ comparatione testetur. Resp. Rivetus in h. l. expresse dicit, & verè quidem, Deum non intendisse executionem, sed tantum voluntatis Abrahami requisivisse propensionem & dispositionem ultimam ad actum. Et *Piscat* ipse Not. ad h. l. ait: Deum tentasse Abrahamum, hoc est explorasse fidem illius Non igitur à parte Dei, comprobante id eventu, v. 12. mandatum respectu actualis immolationis serium fuit, quamvis Abrahamus id non aliter intellexerit, Quia rectè dicente pareo in cap. 11. ad Hebr. mandatum fuit πειρασικὸν exploratorium. Unde Epist. ad Hebr. Abrahami intentionem, promtam voluntatem & obedientiam considerans, Abrahamum filium Isaacum obtulisse (in animo suo & quantum in se fuit) affirmat. Anne autem par est ratio Dei in negotio

negotio nostræ salutis nobiscum agentis, quando patefacto verbo, id est voluntate signi, se non delectari interitu nostro ait, interim volutate beneplaciti, vel ut Beza ait, occulta, exitu id patefaciente, nolit omnium hominum salutem?

17. 2. Ex loco *Exod. 33. v. 9.* Beza suam distinctionem probat. Exardescet furor meus adversus hunc populum & absumam eum. Vis argumenti à Beza formati hæc est. Deus voluntate signi minatur populo πανολεθρίαν; quam tamen voluntate beneplaciti non intulit. Resp. Deus populo fœdus suum irritanti, ac à verâ viâ per Mosen ostensâ recedenti interitum comminatur. Illa verò comminatio exceptionem precum ac pœnitentiæ tacitè includit. Sicuti solet Scriptura in promissionibus, ut & comminationibus conditionem pœnitentiæ sæpe subaudire ut h. l. & *Jon. 3. v. 4.* & passim. Quamvis & aliis in locis conditio illa expressè ponatur. vide *Jer. 1. v. 8. Lev. 26. v. 41. 42. 43. Ezech. 18. v. 21. 2. Par. 7. v. 14. Apoc. 2. v. 5. 22.* Nisi ergò Moses precibus suis iram Dei mitigasset. *v. 9. 12. 13. 14.* & pii in Ecclesia adhuc residui, justissimo Zelo contra Idololatras exarsissent *v. 26. 27. 28. 29.* tum quod Deus cominatus fuit. *v. 9.* executus sine dubio fuisset, nihil ergò præsidij Beza allegare loco habet, cum utrobiq; magna sit diversitas.

18. 3. Beza ait: Deus jubet Esaiam annuntiare mortem Ezechiæ *2. Reg. 20. v. 1. Esa. 38. v. 1.* Respon. nulla hic discrepantia voluntatis signi ac beneplaciti, sed amica harmonia. Si dixerit: cur ergò, non moritur Ezechias? Respon: quia precibus suis ex verâ fide profectis conf. *Matth. 21, v. 22.* vitæ impetravit prolongationem. Deus promisit pietati præminm *1. Tim. 4. v. 8.* ac precum exauditionem *Esa. 65. v. 24. Psal. 145. v. 18.* Nam multum valet precatio Iusti *Jac. 5. v. 16.* Cumq; itaq; Ezechias vitæ suæ petijsset prorogationem. Illam utiq; à Deo obtinuit, hanc enim habemus παῤῥησίαν quod si quid petierimus secundum voluntatem ejus audit nos, inquit Johannes *1 Epist. c. 5. v. 14.* Quid verò hoc ad distinctionem signi & beneplaciti, sensu Adversariorum nostrorum intellectam, in negotio nostræ salutis!

19. 4. *Beza* ita colligit ex *Jon. 3. v. 4.* denuntiat Nivevitis inter-

necionem intra diem quadrageſimum. Nihil tamen exequitus est Deus. Num quod aliter ſentitat, quam loqueretur? vel quod ſententiam poſtea mutarit? Quod enim illos pœnituit, quo minus Deus non implevit, quod denuntiarat, ipſis datum fuit per gratiam, ab eo ipſo, qui hæc illis denuntiabat: neq; hoc illis dediſſet, ſi exequi denunciationem voluiſſet, utiq; immutabiliter feciſſet. Quid igitur: nempe hominum reſpectu duplex hîc fuit voluntas & quidem una, nempe ſigni ſeu patefacta, alteri arcanæ repugnans, quæ non niſi ipſo exitu apparet. Hactenus Beza.

20. Reſpondeo 1. repetendo diſtinctionem *Theſ. 17.* propoſitam, comminationes ſcil. Dei hypotheticè eſſe intelligendas. Ninivitis igitur prædicitur ſubverſio, ſed tacita ſubauditur conditio pœnitentiæ, quæ *Jer. 18. v. 7. &* expreſsè ponitur. Quod ſi Ninivitæ in peccatis ac malitiâ in conſpectum Dei aſcendentibus *Jon. 1. v. 2.* perexiſſent, utiq; ſubverſa eorum civitas, juxta Prophetæ vaticinium fuiſſet. Quia verò ad prædicationem Jonæ reſipuerunt *Matth. 12. v. 41.* & variis ſignis & indiciis veram & non ſimulatam pœnitentiam demonſtrarunt *Joh. 3. v. 6. 7. 8.* ac à viâ ſuâ peſſimâ converſi ſunt *Jon. 3. v. 10.* pœnituit Jehovam ejus mali, quod ſe Ninivitis immiſſurum per Prophetam dixerat. Quod ergò Deus non ſit executus quod comminatus fuit, ejus ratio non eſt quærenda in diſcrepantia voluntatis ſigni & beneplaciti, ſed in vera Ninivitarum converſione. Ninivie peccatis immerſa erat ſubvertenda, tolle ſubverſionis cauſam, peccata illa magna, majora, maxima, & non amplius cur Ninive tùm temporis non ſit ſubverſa ambiges.

21. Excipit Beza datum Ninivitis per gratiam quod ſint converſi. Reſpondeo concedimus converſionis gratiam Ninivitis eſſe Deo per Jonæ prædicationem conceſſam, quam tamen cum maximâ mundi parte rejicere potuiſſent. Quid verò inde infertur? ex antea enim dictis ſatis ſuperq; conſtat, qua ratione Deus Ninivitarum everſionem prædixerit, & quæ cauſa, non ſubſecutæ μετανοίας fuerit. Sed porgit Beza excipere hoc modo, Si exequi denuntiationem voluiſſet, utiq; immutabiliter feciſſet. Reſpon. procedit argumentatio ex hoc fundamento, quaſi omne illud quod Deus vult, ſtatim indifferenter fiat. Proinde diſtinctio hîc attendenda eſt, ut diſcernamus illa

quæ

quæ Deus absolutè, sine ullâ interveniente conditione vult, & quæ accedente certâ conditione implere decrevit. De voluntate absolutâ verum est quod dicitur *Psal. 115. v. 3.* Quæcunq; voluit fecit. Hoc modo Deus decrevit in novissimo Die omnes homines resurgere *Act. 24. v. 15.* & coram tribunali Christi sistere *Rom. 14. v. 10* id suo tempore implebit, non habito respectu fidei hominum, aut incredulitatis eorundem. Alia autem ratio voluntatis ordinatæ, ibi multa quæ Deus fieri seriò vult, non implentur. Sic Deus voluit ne Adam ac Eva commederent ex fructu vetito *Gen. 2. v. 17.* quod tamen maximo totius humani generis incommodo factum est *c. 3. v. 6. 7.* Deus homines vocat. Ergò eos venire vult, & tamen homines venire recusant ac consilium Dei despiciunt *Prov. 1. v. 24* & vocanti Deo non respondent *Esa. 65. v. 12.* Invitat ad nuptias spirituales venire nolentes *Matth 22. v. 2.* fecit Cœnam magnam & vocat multos, sed invitati sese excusant *Luc. 14. v. 16. 18* & seqq: vult Pharisæos baptizari à Johanne, sed illi contemto Dei consilio, contra voluntatem Dei non baptizantur. Ex his & aliis Scripturæ sacræ exemplis liquidò constat, non semper illud fieri, quod Deus certâ cum conditione impleri vult. Falsum itaq; est, quod Beza dicit: Deum quod attinet, nunquam aliud voluit, nisi quod etiam fecit. Voluit itaq; Deus, ut ad locum nostrum revertamur, denuntiationem à Prophetâ institutam exequi, sed in Ninivitis peccantibus, non verò pœnitentiam seriam agentibus.

22. 5. Argumentatur Beza hoc modo: simpliciter cum Abrahamo & ejus sobole pactus, apertâ & communi voluntate signi. Ismaelem beneplaciti voluntate repudiavit. Respon. contradicit Beza apertæ Scripturæ; pactum enim singulariter respicit non Ismaelem ex ancillâ, sed Isaacum ex Sara natum, interprete ipso Jehova *Gen. 17. v. 21.* & Paulo *Rom. 9. v. 7.* qui propterea dicitur filius promissionis *Rom. 9 v. 8.* & unigenitus *Hebr. 11. v. 17.*

23. Tandem 6. producit Beza exemplum Esavi, de quo ita ait: Sic Esavum primogenitura quoq; nascendi donatum & ipsius sobolem benedictione fœderis privavit. Respondeo 1. Volenti non fit injuria. Quod ergò attinet jus primogenituræ, quia illud volens Esaus vendidit, *Genes. 25. v. 31. 33. 34.* atq; ita seipsum illo bono privavit,

vit, privatio illa primogenituræ, Deo asscribi nequit. Quod ex Epist. ad Hebr. c. 12. v. 16. 17. palam est, ubi expressè dicitur, Esavum Unico edulio jus primogeniti permutasse ac vendidisse. Unde *Pareus* rectè incusat Esavum in *cap.* 25. *Gen.* Quod graviter peccarit, partim intemperantiâ gulæ, vecordiâ, vilitate animi, ingratitudine, impietate, impœnitentiâ. Et subjungit: Est ergò Esau imago hominum carnalium, qui tantum quæ ventris sunt curant, cœlestia & divina fusq; deq; habent, quorum ingens semper fuit & nunc est numerus, qui dicunt, quid mihi primogenitura? quid juvat pium esse: probitas laudatur & alget, edamus, bibamus, cras moriemur. Hactenus Pareus. 2. Quousq; Esau benedictione fœderis privatus sit, illud volente Deo ex professo futura Disputatione exponemus. Proinde hîc finientes, Patri misericordiarum devotè supplicamus, ut nos omni benedictione spirituali beet, & ex hac miseriarum valle liberatos æternùm recreet.

Detectis

בעה

I.

DEtectis Disputatione proximâ nonnullis Adversariorum nostrorum latibulis, consequens est, tria primaria illorum argumenta ab assumptione & dilectione Jacobi; ac rejectione & odiô Esavi: ut & indurationis Pharaonis: & figulô vas aliud in honorem, aliud in ignominiam figente, desumpta, paucis considerare. Primaria autem hæc esse argumenta, ipsi hac in re nobis contradicentes non diffitentur. Unde quotquot de Prædestinatione scripserunt, hæc inprimis argumenta operosè urgent. Igitur pretium operæ nos facturos confidimus, si hæc argumenta ex professo consideraverimus & in hac Disputatione initium fecerimus.

2. Ut autem eò felicius inoffensô pede progrediamur, necessarium esse arbitramur, *Cap. 9. Epist. ad Rom* (quod Adversarii nostri identidem nobis, tanquam caput Medusæ objectant, ut coràm aliquando, cùm hâc de re cum Piscatore Herbornensi loquerer, factum recordor: lege, inquiebat, lege *cap. 9. ad Rom.* & ibi videbis) expendere, rerumq; & argumentorum Paulinorum momenta exactius in timore Domini trutinare. Cumq; hæc materia omnium fermè sit difficilima, summissè rogamus Deum trinunum, adsit ille nobis suâ gratiâ & auxiliô, ut quæ dicturi sumus, voluntati ipsius verbô patefactô revelatæ, sint congrua & omnibus nobis salutaria.

3. Quisnam Apostoli Pauli *in Cap. 9 ad Rom.* principalis sit scopus, illud ex *Cap. 8.* patet, ibidem enim ait: *Nihil damnationis esse in iis, qui sunt in Christo Jesu, & neminem separare nos posse à dilectione Christi.* Quia verò plerorumq; Judæorum abjectio assertioni Apostolicæ obstare videbatur, unde offendi semel in fœdus Dei recepti poterant, proinde de causis rejectionis Judæorum à gratiâ, & assumptione gentilium in gratiam, principaliter & directe Apostolus agit; quamvis consequenter, typicè & occasionaliter de Electione & Reprobatione quædam tractet & obiter quasi inspergat, velut & *Hunnius* in h. l. loquitur: in campum Prædestinationis digreditur, sive

ut Meisn. sit Diss. 20. Anthrop. Th. 21. immiscentur quidem subinde aliqua ad Doctrinam Prædestinationis pertinentia, principalis tamen scopus hic est, quòd Judæi justè sint rejecti, & in ipsorum locum gentiles assumpti, quibus prædicetur Evangelium, & ex quibus colligatur Ecclesia. Unde ipse Pareus in commentario suo super Cap. 9. ad Rom. apertè scribit: Apostolum de Judæorum rejectione & Gentilium substitutione agere.

4. Præsuppositâ assertione hâc verissimâ cadunt omnia illa, quæ operosè adversarii nostri disputant, in hoc capite 9. Epist. ad Rom. propriam esse sedem materiæ hujus controversæ. Annititur equidem Pareus Dubio 4. in b. l. probare scopum Apostoli hunc esse, ut de æternâ Dei Prædestinatione tractet. Verùm sicuti id de scopo minùs principali dextrô sensu largimur: ita de principali illud negamus. Apostolus enim exprofesso, principaliter & directè, de illâ agit Judæorum rejectione, quæ nisi pœnitentiâ eorundem mutari poterat. Unde Paulus preces ad Deum fundit pro Judæis ad salutem Rom. 11. v. 1. & ad æmulandum eos provocat, ut salvos reddat nonnullos ex illis Rom. 11. v. 14. Et quamvis Apostolus ramos, id est, Judæos incredulitate defractos esse affirmaverit, Rom. 11. v. 17. 19. 20. Subjungit tamen consolationem, quâ indicatur, eosdem in incredulitate non permanentes, denuo à Deo viti & oleæ Christo scil. conf. Joh. 15. v. 4, 6. insertum iri Rom. 11. v. 23. quô ipsô luculenter satis indicatur, non esse Apostolo sermonem directè & principaliter de æternâ Electione & Reprobatione. Juxta Calvinianos enim, qui ab æterno reprobatus est, ille nunquam Christo verâ fide inseri potest. Unde cum Dn. Schrodero ita argumentamur: Quæcunq; rejectio rejectis spem bonam recuperandæ salutis relinquit, ea non potest esse æterna Reprobatio. Atqui rejectio Judæorum, de qua Paulus disserit in Epist. ad Rom. c. 9. 10. 11. rejectis spem bonam recuperandæ salutis relinquit. Ergo rejectio illa Judæorum non potest esse æterna Reprobatio.

5. Præmisso igitur principaliter & primariò non esse sermonem in cap. 9. ad Rom. de æternâ Dei Prædestinatione ad vitam æternam, neq; etiam de Reprobatione ad damnationem, nisi consequenter, quatenus illi ad Ecclesiam vocati, ita se gerunt, non in Deo fundari & stabiles non dimoveantur à spe Evangelii Col. 1. v. 23. in quibus Deus opus,

opus, quod cœpit, perficiet, *Phil. 1. v. 6.* ut illius virtute per fidem custodiantur ad salutem *1. Pet. 1. v. 5.* Et qui tales sunt, illi utiq; sunt electi ad vitam æternam *1. Tim. 1. v. 16. Rom. 2. v. 7.* Qui verò ab Ecclesiæ consortio ob peccata exclusi, & temporaliter rejecti, in peccatis contra concientiam perseverant, super illos manet ira Dei *Joh. 3. v. 36.* à qua non nisi per Christum, quem tamen rejiciunt, liberantur *1. Thess. 1. v. 10.* Cùm igitur peccatum illorum maneat *Joh. 9. v. 14.* meritò luunt pœnam, interitum æternum à facie Domini & à gloriâ fortitudinis illius *2. Thess. 1. v. 9.* Apostolus itaq; prævidens plerosq; Judæorum sese veræ Christi Ecclesiæ non associaturos, consequenter de illorum æternâ Rejectione agit.

6. Summa itaq; & argumentum *Capitis 9 ad Rom.* hoc est: agit scil. de abdicatione sive rejectione Judæorum ex regno Christi, juxta Servatoris vaticinium *Matt. 21. 7. 43.* & assumptione gentium, itidem juxta Prophetarum prædictionem, *Esa. 49. v. 6. c. 65. v. 1. Ose. 2. v. 24.* ipsô complementô impletam, *Act. 13. v. 46, 47. c. 15. v. 7. 14. 17. c. 18. v. 6. c. 28. v. 28.*

7. Distributio Capitis est quadrimembris 1. gravem continet Apostoli protestationem de serio suo dolore ob gentis Judaicæ rejectionem, directè quidem temporalem; consequenter tamen, quatenus in incredulitate permanebant, æternam *à v. 1. usq; ad 6* 2 proponit promissionis divinæ firmitatem, quam quia Judæi objectionibus non nullis ex doctrinâ Apostolorum, Judæorum opinione, profluentibus, labefactare conabantur, eapropter Paulus in hoc membro totus est in argumentorum illorum resolutione, *à v. 6. usq; ad 24.* 3, illustrem exhibet vocationis gentium ad Ecclesiam vocationem, Prophetarum vaticiniis confirmatam *à v. 24. usq; ad 30.* 4. Rejectionis judæorum & vocationis gentium ostendit causas *à v. 30. usq; ad finem capitis.* Pars 1.

8. Primum membrum exorditur Apostolus, non à nudâ verborum assertione, sed dicente *B. Hunnio in h. l.* à gravi Juramento, inter positâ religiosâ divini nominis attestatione Quia enim Romæ multi commorabantur Judæi *conf. Act. 8. v. 2. c. 18 v. 17.* ne quid ex invidiâ & odiô adversus illos dixisse existimetur, primô capitis membrô benevolentiâ captat versibus quinq; primis, suamq; in Judæos propensionem, quâ carnem fratres, brevibus quidem; at significantibus ver- Pars 2. v. 1.

bis exponit. Satis fuisset, si semel se veritatem dicere in Christo affirmâsset: At de re gravi & maximi momenti dicturus asseverationem illam religiosam triplicat. Mentionem enim facit 1. Christi. 2. Conscientiæ. 3. Spiritus sancti. Christus est ipsa veritas *Joh. 14. v. 6.* Conscientia verò est mille testis. Spiritus Sanctus est Spiritus veritatis *Joh. 15. v. 26.* Ergo qui aliquid religiosè affirmat Christô, Conscientiâ & Spiritu S. teste; illum non mentiri certissimum est. *Conf. 2. Cor. 1. v. 23. 6. 11. v. 31. Gal. 1. v. 20.*

9. Præmissô veritatis testimoniô subjungit Apostolus, ne videatur
v. 2. & 3. ἐπιχαιρέκακος, indicinam doloris, quem ob Judæorum ab Ecclesia rejectionem concepit. Exaggeratur autem ille, cum dicitur: ὀδύνη ἀδιάλειπτος cruciatus sive dolor assiduus. Ne quis putet transitorium tantùm ac facilè prætereuntem cordis mœrorem esse. Et ut eò magis immensum suum amorem erga Judæos conteste tur, optat si fieri possit, aut si sit possibile (conditio enim quæpiam tacitè subaudienda) anathema esse pro fratribus, id est, æternam Judæorum salutem tantô desideriô cupit promotam Apostolus, ut, si Deo ita placeret, ille solus potiùs & vice Judæorum æternùm damnari malit, quàm tot millia fratrum & cognatorum secundum carnem pereant. Quô ipsô insignis non tantum erga Judæos amor; sed & erga Christum ejusq; gloriam ardor conspicitur, dum suam unius salutem aliis cedendo, tacitâ tamen subauditâ conditione postponit, modò Christus à plurimis rectè agnosci queat.

10 Causas verò sui immensi doloris exponit aliquot 1. sunt Israëlitæ, orti scil. ex prosapiâ sanctissimi viri Jacobi, ob insignem victoriam spiritualem, *Gen. 32. v. 28.* Israëlis nomen adepti, unde ipsius posteri debebant esse veri Israëlitæ dolô carentes *Joh. 1. v. 47. Gal. 6. v. 16.* 2. illorum est adoptio, & in populum peculiarem electio, *Exod. 4. v. 22 Deut. 7. 6, Jer. 31 v. 9.* 3. gloria partim miraculorum, in hoc populo editorum, *Exod. 6. v. 6. 8. 14. v. 13.* partim etiam, quia visibile præsentiæ divinæ habebant documentum, arcam scil. fœderis, quæ fuit gloria Israelitarum, *1. Sam. v. 4. 21.* hinc nulla gens Deos suos ita habuit propinquos, sicuti Israël, *Deut. 4. v. 7. 4.* Testamenta habent, sive ut alibi ait Apostolus, sunt illis tabulæ testamenti *Heb. 9. v. 4.* dicitur autem numerô plurali: Testamenta, quia duæ fuerunt tabulæ *Exod. 32. v. 15 &. 34. v. 29. Deut. 4. v. 13.* Est apud illos legis constitutio περιθεσία solemnis

mnis scil. legis moralis in monte Sinai inter fulgura & tonitrua promulgatio *Exod.19.v.16.& seqq.Deut.4.v.32.33.6.6.* λατρεῖα cultus vid. Leviticus, intelligitur verò lex ceremonialis cum universo sacrificiorum ritu *conf. Heb.9.v.1.7.* Promissiones itidē habent, tum corporales tum spirituales: corporales equidem multas habuerunt Judæi, & hôc respectu præ cœteris gentibus prærogativam tenuerunt magnam, conf. *Gen.27.v.28. Exod.3.v.8* promissiones quoq; spirituales primùm concernebant Judæos, *Rom.1.v.16.* unde Christus dicitur minister Circumcisionis *Rom.15 v.8.* abstractô pro concreto sumptô, i.e. circumcisorum Judæorum, conf quà phrasin *Rom.3.v.30. Gal.2. v.7.* & non venisse, ut Propheta scil. nisi ad oves perditas domûs Israel, *Matth.15.v.24.* hinc taliter non fecit omni nationi, *Psal 147.v.ult.8.* Tandem sunt posteri patrum & sanctorum patriarcharum, ex quibus Christus est secundum carnem genitus, *vide Matth.1.v.1.Luc.3.v.23. & seqq. Rom. 1.v.3* Unde illos Christi consanguineos ab Ecclesiâ & beneficiorum Messiæ participatione, ob ingratitudinem exclusos dolendum esse judicat Paulus. Ne quis verò arbitretur, unam in Christo tantùm esse naturam, subjungit Apostolus: Christum esse super omnia Deum benedictum in secula Amen. Quæ δοξολογία refertur etiam ad illum, cujus immediatè in præcedentibus facta est mentio. Non ergo ad solum patrem cum Photinianis dirigenda, sed & simul filius ejusdem cum patre essentiæ, intelligendus. Inprimis cum eadem δοξολογία Christo & Patri simul attribuatur *Apoc.5.v.13. conf.1.Pet.4.11.2.Pet.3.v.18.* Filius enim honoradus est sicut Pater, & qui non honorat Filium, non honorat Patrem *Joh. 5. v. 23.*

11. Ex quibus constat, determinationem illam; Christus est ex patribus *secundum carnem*, non eodem respectu dici, quô antea dictum est. *v.3.* Judæos esse cognatos Pauli secundum carnem: prior enim locutio indicat Judæos quidem esse fratres & cognatos Pauli, sed secundum carnem tantùm: quia Paulus vir Judæus *Act. 22. v. 3.* & certô respectu Pharisæus *Act. 23. v. 6.* atq; sic Hebræus Israelita & semen Abrahæ *2.Cor.11.v.23.* & in specie ex tribu Benjamin oriundus *Phil.3.v.5.* Verùm si de cognatione spirituali sermo fit, Judæos non esse Israelitas Dei, *Gal.6.16.* sed potius ex patre Diabolo *Joh. 8. v. 39.* indicatur itaq; *v.8. Rom.9* filiorum spiritualium & carnalium discri-

men seu differentia, *conf. 1. Cor. 10. v. 18. v. 5.* verò *ejusdem capitis* phrasis: *secundum carnem*: est distinctiva notans naturam illam, juxta quam Christus ortus fuerit ex patribus scil. secundum humanam naturam *Rom 1. v. 3. Act. 7. v. 42. Act. 2. v. 30.* juxta quam mortificatus & passus *Pet. 3. v. 18. c. 4. v. 1.* & non secundum divinam *Joh. 20. v. 28. Isa. 2. v. 13. 1. Joh. 5. v. 20.*

Pars II. 12. Absolutâ parte primâ Judæorum prærogativam, ut & Apostoli erga fratres carnales amorem exponente, progreditur Apostolus, & quæstionem de judæorum rejectione tractare incipit. Et quia Judæi in formandis objectionibus faciles valde erant, ingenium illorum noscens Apostolus, principale illorum argumentum anteverrit, quod si in formam redigatur, hoc est: Quicunq; affirmat promissiones Dei esse irritas falsum dicit. At tu, Paule, affirmas promissiones Dei esse irritas. Ergo tu, Paule, falsum dicis. Major vera est. Minor probatur hôc modô: Quicunq; affirmat Judæos à Dei gratiâ esse rejectos, ille ait promissiones Dei esse irritas. Ratio est: quia Judæis factæ sunt illæ promissiones. At prius affirmabat Apostolus. Ergo. Respondet itaq; ad primum syllogismum negando Minorem, non enim se promissiones Dei esse irritas sive sermonem Dei excidisse asserere sait *v. 6.* Subjungit verò negationis hujus rationem datâ distinctione: inter Israëlitas Carnales & Spirituales, Item: non omnes, qui sunt semen Abrahæ, qualis etiam fuit Ismael, statim illos esse filios promissionis, quod elogium soli Isaac tribuitur *Gal. 4. v. 28* proinde non solùm illos, qui genus suum ducerent à circumcisis, verùm etiam qui ingrederentur vestigiis fidei habere Abrahamum patrem, *Rom. 4. v. 12.* Et qui ex fide sunt, ait Paulus, ii sunt filii Abrahæ, *Gal. 3. v. 7.* & cum fideli Abrahamo benedicuntur, *Gal. 3. v. 9* promissio itaq; licet non impleatur in filijs carnis, Judæis scil. juxta carnem ex Abrahamo ortis, *Joh. 8. v. 33 39.* gratiam hanc à se malitiosè repellentibus, *Act. 13. v. 46. c. 18. v. 6.* impleri tamen in filiis promissionis, utpote veris Israelitis, *Gal. 4. v. 31.* Et quia hoc fieret, promissionem patribus factam non esse vanam aut frustraneam concludit Apostolus.

v. 7. 8. & 9 13 Quia verò absurdum videbatur Judæis, se ex prosapiâ sanctissimi patriarchæ Abrahæ ortos: non tamen esse filios promissionis, proinde duplici typô Paulus hanc rem illustrat. Primus desumitur

ab

ab Ismaele & Isaaco, quorum uterq; semen Abrahæ erat, habitõ natiuitatis carnalis respectu; non tamen uterq; filius erat promissionis. De Ismaele dicitur, *Gen. 21. v. 10. 12. Gal. 4. v. 30.* ejice ancillam & filium ejus; non enim erit hæres filius ancillæ: De Isaaco verò *Gen. 21. v. 12.* in Isaaco vocabitur tibi semen, id est, ex Isaaco nati erunt genuinum Abrahæ semen. Hinc Isaaco dedit Abraham omnia, quæ possedit *Gen. 25. v. 5.* Evertit igitur Paulus instantiã hãc objectionem Judæorum, promissionem fœderalem ex carnali propagatione ad se spectare, quam Dn. D. Mentz. p. m. verbis exponere placet: *Si solus Isaac est verum & germanum semen Abrahami & non etiam Ismael, qui tamen ex eodem Abrahamo secundum carnem genitus: consequens est censeri filios, non secundum carnem (ex nativitate carnali & operibus) sed secundum promissionem verâ fide apprehensam.*

14. Quoniam verò respondere poterant Judæi allatum Apostoli typum minùs quadrare, Ismaëlem enim ex ancilla Hagar; non verò Domina ipsa familiæ Abrahami, ipsâ Sarâ prosatum. Ideo mirum non esse, cur non pro genuino semine sit reputatus, nec filius promissionis factus: Se verò esse genuinum semen Abrahæ *Joh. 8. v. 33.* Quapropter Paulus aliõ adductõ Typõ responsionem suam antè datam declarat exemplõ fratrum, non tantùm germanorum, sed unõ & eodem tempore uterinorum & gemellorum. Argumentũ Pauli hoc est: Si Esau & Jacob ex unis iisdemq; parentib⁹ & eodem tempore prognatis non tamen propterea æqualiter ad possidendam terram Canaan missi, sed alter alteri prælatus est, adeò ut in ejor, jus primogenituræ habens, infervierit minori: sequitur filios non censeri secundum carnem seu privilegium carnale, sed secundum promissionem. At prius verum esse, historia Esavi & Jacobi testatur. Posterius ergo negari nequit. Consequens ergo est, bona cœlestia & veritatem promissionum divinarum, nequaquam in carnali privilegio consistere, fieri igitur, ut externõ illõ privilegiõ fruentes, à gratiâ divinâ propter peccata rejiciantur. v. 10.

15. Poterant verò rursum excipere: Jacobum propter probitatem & opera prælatum Esavo. Respondet Apostolus negando, ait enim: nondum natis pueris antequam fecissent aliquid boni aut mali, v. 11. 12. & 13.

non

non ex operibus, sed ex vocante dictum est: *major serviet minori, &* cui scriptum est: *Jacob dilexi, Esau verò odio habui.* Observandum hic diligenter, hæc verba non esse contra fidei analogiam extendenda & explicanda cum adversariis nostris Calvinianis: quasi Deus in Jacobo & Esavo exemplum proposuerit æternæ Prædestinationis & Reprobationis, ut ex mero Voluntatis atq; Electionis proposito pueros quoad naturam prorsus pares, unum illorum dilexerit, alterum verò odio habuerit, ut loquitur Pareus in h. l. Igitur totum propositi & Prædestinationis divinæ mysterium, in hypothesi filiorum Abrahæ & Isaaci nobis considerandum & adorandum. Paulum proposuisse ait idem Pareus.

16. Ut verò hæc objectio, utramq; faciens paginam in Scholis Calvinianorum, solidè refutetur, sequentia bene notanda sunt 1. in explicatione loci alicujus difficilis & obscuri scopus loquentis benè attendendus. Cum igitur *ex Th. 3. & 4.* constet Apostoli scopum directum & principalem non esse, *in hoc cap. 9.* agere de Electione ad gloriam & Reprobatione ad æternam ignominiam, nisi tantùm consequenter, sed potiùs contra Judæos probat, in Christi regno nihil valere carnalem prærogativam; Judæos itaq; generis prærogativâ superbientes rectè potuisse rejici à Christi gratiâ & Evangelij communione & gentes assumi. 2. Historiam Esavi & Jacobi Typicè tantùm adductam esse hoc modò: sicuti Esau postthabitus Jacobo, non propter aliquam generis dignitatem, nec etiam propter opera. Ita in regnum Christi assumuntur gentiles & rejiciuntur Judæi, non habitô dignitatis generis aut operum respectu. Ulteriùs verò & extra scopum Apostoli quasvis inde consequentias, pro absoluto & horribili, ut Calvinus loquitur, Electionis & Reprobationis decreto, scripturæ sacræ planè ignoto, imò eidem è diametro repugnante cudere, est explicationis scripturæ regulas violare: omnis enim vera Scripturæ explicatio Fidei debet esse analoga *Rom. 12. v. 6.* Cum igitur Historia Esavi & Jacobi Typum contineat, videndum ex sacris literis, quousq; Typus applicetur, aut etiam salvâ Fidei analogiâ applicari possit: sufficit enim si scopo principali Typus accommodetur & in certo tertio conveniat. 3. Locus aliquis dubius ita explicandus est, ne illius interpretatio Scripturæ dictis, unde desumptus est, contrarietur. At verò locum Paulinum exponere de absolu à Electione Jacobi & Reprobatione Esavi, non convenit cum *Gen. 25. v. 24. & Malach. 1. v. 2.* 17. Nam

17. Nam *Gen.25.v.24.* non præcisè agitur de negotio salutis, sed externo tantùm dominio, quod ordinariè debebatur majori, utpote primogenito. Hîc autem dicitur contrarium: *Major serviet minori.* Agitur itaq; de jure primogenituræ & privilegio externo dominii: non verò ut loquitur Calvinus in h. l. de arcano Dei beneplacito, quô dependeat, ut alii pereant, alii verò salutem consequantur. Consideret autem aliquis in Dei timore, si hæc verba: *major serviet minori*, ita explicanda sunt, ut volunt Calviniani: Deum occultô, æterno, & immutabili consiliô rejecisse Esavum à salutis participatione; & Jacobum ad vitam æternam eligisse. Quibus oculis infelicissima & miserrima mater Rebecca intueri potuit Esavum filium ex se natum, de quo propter decreti absoluti & horribilis immutabilitatem spes simpliciter nulla fuerit reliqua salutis, & qui vivum quasi Diaboli ipsius infernalè extitit mancipium, si vera est horrenda Calvinianorum opinio. Rebeccam verò sententiam & mentem oraculi divini intellexisse, ipse Pareus *in Genesin pag.1490.* negare in totum non audet. Accedit, quòd sermo sit, non de Individuis, Esavo & Jacobo, sed de tota illorum posteritate, quod probatur ex ipso textu *Gen.25.v.23.* Ubi *duas gentes* in utero Rebeccæ esse dicitur. Et deinde Esau in propriâ suâ personâ nũquam inservivit Jacobo (verùm potiùs Jacob ipsi Esau *Gen.33.v.3. & seqq.* ipsô concedente Pareô) sed posteri Edomæi *2. Sam.8.v.17.* Quô locô impletum est vaticinium *Gen 25.v.24.* populus enim Edomæus superatus à Davide ipsi servivit, Et ita major inservit minori. Unde consequẽs est, posteros inprimis intelligendos, non ipsas aut personas aut individua 18. Positâ itaq; assertione illâ verissimâ, per Jacobum & Esavum posteritatem utrinsq; intelligi, quod ipse *Calvinus in Genesin p.283.* concedit. dicendo: *quamvis Dominus totum semen Jacob à genere Esau separet.* Ita argumentamur: Qui sensus ex scopo & intentione oraculi divini accommodari potest toti utriusq; personæ posteritati (cum de illa inprimis textus loquatur) ille est tantùm verus & genuinus sensus. Atqui expositio illa dicens; sermonem hic esse tantùm de privilegio externo primogenituræ præ Esavo & posteris, ut & posthabitione eorundem, accommodari potest toti utriusq; personæ posteritati. Ergo est verus tantùm & genuinus sensus.

19. Econtra, quæ explicatio non potest accommodari posteritati

Jacobi & Esavi, illa non est vera explicatio. Ratio est: quia de posteritate agitur, talis itaq; danda expositio posteritati quadrans, ut per se constat. At per servitutem intelligi Esavi & posterorum abjectionem à salute æternâ, & ipsius Jacobi & posterorum ad gratiam electionem, illa explicatio non potest accommodari posteritati Jacobi & Esavi. Ergò non est vera explicatio. Minor inde patet, quòd plurimi Jacobitarum damnati, ut *cap. 9 10. 11. Epist. ad Rom.* testantur: & vice versâ multi Esavitarum salvati. Unde *Esa. 11. v. 14.* illorum ad regnum Messiæ habetur vocatio *conf. Amos 9. v. 11. 12. Jer. 49. v. 11* complementô demonstrata *Marc. 3. v. 7. 8.*

20, Respondet Pareus: liberè Deus miseretur, quorum vult; quos vult, indurat ex utriusq; posteris. Resp. partim petitur principium, præsupponitur enim, misericordiam Dei ex intentione divina esse particularem, quod pernegamus & uberiùs hac de re dicemus, quando ad *v. 18. cap. 9. ad Rom.* rectè exponendum devenerimus: partim verò non directè ad argumentum nostrum respondetur. Quæstio est, quinam sint illi, de quibus dicantur: *major serviet minori*? Dicitur ex textu: *esse populum Idumæum serviturum Judæi.* Calviniani per servitutem intelligunt Esavi abjectionem: Jacobi contrà electionem ad gratiam, ita exponente Pareo *in Genesin p. 1489.* Ergo populus Idumæus abjectus: & populus Judæorum electus, juxta adversæ partis expositionem. Dic cum Pareo: liberè Deus eligit ex triusq; posteris, numne textui satis fecisti? Dico: minimè. Cum Quæstio non sit, quid Deus faciat cum quibusdam ex posteris, sed totâ Esavi posteritate & omnes Jacobi posteri hic intelliguntur, & quasi opponuntur, & de utrisq; dicitur: *Major serviet minori.*

21. Deinde locus *Mal. 1. v. 2.* explicationi Calvinianæ de occulto Dei consilio in salutis negotio non favet. Primo enim agitur de posteritate & non de personis, utpote jam dudum vitâ functis. Nomen ergo proprium hic ponitur pro Patronymico more Scripturæ usitatô, *vide Jer. 18. v. 9. Ezech. v. 2 Num. 23. v. 21.* Quod ipse *Calvinus non diffitetur Lib. 2. Instit. cap. 21. §. 7.* quod dicitur, inquit, Jacob dilexi, pertinet ad totam sobolem patriarchæ, quam Propheta illic opponit posteris Esau. Respondet Pareus: Loquitur de personis primò, de posteris secundariô Resp. verte & fiet falsum. De posteris enim primariò esse sermonem,

scopus

scopus Prophetæ arguit in toto capite: exprobrat enim Deus Judæis summam illam ingratitudinem, quòd, cum illis terram fertilissimam, bonam, lacte & melle fluentem, *Exod. 3. v. 8.* concesserit, Esavitis vero postpositis tractum infrugiferum, montibus asperum, & maximam partem incultum dederit; illud tamen beneficium non agnoscant, sed animalia cœca, mutila, manca, &c. locò sacrificii offerant, cum possent ex bonâ illâ terrâ omni genere animalium ad sacrificia aptorum abundante *Esai. 50. v. 9. 10.* offerre sacrificium lege divinâ non prohibitum, *conf. Lev. 22. v. 20. 21. 22.*

22. Probat vero Pareus de personis primò sermonem esse, quia Esau in personâ fuit exclusus à fœdere & gratiâ. Respondeo, negatur illud hôc argumentô: Quicunq; ex mandato divino æquè ut ipse Jacob per Circumcisionem in fœdus Dei receptus est, *vide Gen. 17. v. 7. & seq.* Ille occultô æternô & immutabili Dei consiliô à fœdere non est exclusus. Atqui Esau per Circumcisionem æquè ut Jacob in fœdus Dei receptus est. E. occultô, æternô, & immutabili Dei consiliô à fœdere divino non est exclusus. Fœdus autem divinum hoc est *Gen. 17. v. 7. statuam pactum meum inter me & te, & inter semen tuum post te in generationibus tuis fœdere sempiternô, ut sim Deus tuus & seminis tui post te.*

23. Deinde ait Pareus: Apostolus de ipsis pueris in utero existentibus utrumq; oraculum interpretatur. Resp. Verum est, sed illud non est contra Apostoli scopum & Fidei analogiam, *vide Th. 15. & 16. hujus Disp.* extendendum, quod fieret, si quis ita exponeret: nondum natis pueris & antequam boni vel mali aliquid fecerunt, dictum est: *major serviet minori* Ergò Jacob absconditâ in Deo Electione, ut loquitur Calvinus, ad vitam æternã prædestinatur. Esau verò horribili Dei decretô æternæ damnationi est destinatus, ipsiq; ut rursũ loquitur Calvinus, vitæ aditus præclusus. Hanc Diabolicam consequentiam, ad desperationem viam monstrantem, iterum atq; iterum negamus hôc fundamentô: Quicunq; ad imaginem Dei in Adamo est conditus, ille merô Dei beneplacitô sine intuitu peccatorum & incredulitatis æternæ damnationi non est destinatus. Atqui Esau ad imaginem Dei est conditus. E Esau sine intuitu peccatorum & incredulitatis æternæ damnationi non est destinatus. Major constat ex oppositione imaginis divinæ in justitiâ & sanctitate positæ, *Eph. 4. v. 24.* & ipsius damnatio-

nis ex justitia ortæ, *Rom. 2. v. 8, 9. conf. 1. Cor. 15. v. 49.* De minore nullum est dubium; blasphema enim *Calvini* vox: *non pari conditione creantur omnes sed alijs vita aterna: alijs verò eterna damnatio præordinatur*, jam à propriis quibusdam sociis improbatur, & quidem meritò, secundum Scripturam *1. Thess. 5. v. 9.*

24. Tertiò dicit Pareus: Electio & Reprobatio pertinet ad omnes utriusq; posteros salvâ Dei liberrimâ εὐδοκίᾳ. Respondeo, quod hic Pareus dicit, ambiguè valde dicitur. Si sensu Calvinisticô illud affirmetur, de voluntate signi, non beneplaciti; Item de consilio occulto, quô rejectis aliis nonnullos eligat, negamus hanc Dei esse εὐδοκίαν, utpote ex Scripturâ sacrâ scientes, Deum non velle, ut ullus pereat. *2. Pet. 3. v. 6.* Imô velle, ut omnes salventur, *1. Tim. 2. v. 4.*

25. Tandem Calviniani ferè omnes illud argumentum urgent ab odio Esavi & dilectione Jacobi desumptum, quando Apostolus *Rom. 9. v. 13.* ex Propheta ait: *Jacob dilexi: Esau verò odio habui.* Ad quem locum Pareus ait: Hic non potest secundum quid seu comparate odium accipi, quia & Historia Mosis & scopus Pauli docet, Esau sic fuisse odio habitum à Deo, ut à fœdere & salute æternâ tanquam βέβηλος sit exclusus. Respondeo 1. Esavum damnatum esse nullô invictô argumentô hactenus demonstratum Calviniani. Urget quidem Pareus βέβηλον illum fuisse profanum & impium, sed quid tum? Salomon itidem fuit impius & ejus pœnitentiæ non expressè totidem scit verbis meminit Scriptura: & tamen nullus Calvinianorum Thesin illam: semel renatos gratiâ Dei excidere non posse, defendens, Salomonem damnatum esse affirmare potest.

26. Esavum v. licet Apodictice demonstrare non possimus salvatũ esse, bene tamen ex multis indiciis speramus cum D. Luthero *vide Disp. 1. Thes. 37.* Posito autem, non concessô, illum damnatum esse; hinc tamen non sequitur: eum sine respectu peccatorum & incredulitatis Deo fuisse occultô consiliô invisum. 2. Quid v. in specie notet: *dilectio Jacobi & odium Esavi*, non opus est, ut per ænigma scrutemur, cũ verba Prophetæ, ut & ipsa res ac phrasis satis sint perspicua. Quando enim dicitur: *Jacob dilexi & Esau odio habui* statim subijcitur: *Et posui montes ejus in solitudinem, & hæreditatem ejus desertum draconũ.* Dilectio

lectio itaq; Jacobi & ejus posterorum h.l. notat terræ opimæ & fertilissimæ concessionem, *conf. Deut. 4. v. 37. 37.* Odium Esavi v. terræ infrugiferæ & montosæ attributionem, *conf. Gen. 28. v. 29 37.* Quæ verò consequentia: Jehova Jacobo terram concessit fertilem: Esavo v. infrugiferam. Ergo hunc reprobavit ad damnationē; alterum ad salutem elegit. Nam ex temporali felicitate non probatur hominem alicuem esse pium, *vide Psal. 17. v. 14. Jer. 12. v. 1. 2. Luc. 12. v. 16.* neq; ex infelicitate externâ impietas colligitur, *Luc. 16. v. 20. 21. 1. Pet. 4. v. 17. Hebr 12 v. 6.* De externis ergo illis casibus rectè dicitur cum Ecclesiaste *c. 9. v. 1.* nescit homo, utrum amore, an odiō dignus. *conf. etiam Eccles. 8. v. 14.*

27. Ex hactenus dictis constat, phrasin illam: *Esau odio habui*, non de odio Dei erga Esau, ejusq; posteros hostili & propriè sic dicto & malevolo affectu, ex absoluto Dei decreto proveniente, sed tantūm comparatè seu definitè secundum quid intelligendū esse, ut locus *Malach. 1. v. 2.* ex quo Paulus hæc verba desumpsit, indicat. Nec insolens est in sacris literis locutionem hanc eodem modō sumi, ut *Disp. 1. Thes. 32.* probatum, *conf. Gen. 29. v. 31. Prov. 19 v. 7* Regerit Pareus, esse collectionem à particulari, proinde nihil concludi. Respondeo: non ita argumentamur: Phrasis hæc: *Odio habere* notat læpe *postponere, posthabere.* Ergo & *Rom. 9. v. 13.* sed ita colligimus: Locutio hæc sæpe κατ' ἐξοχήν & comparativè *de odio impropriè sic dicto* sumitur: & in *Epist. ad Rom.* scopus postulat, ut ita sumatur ob rocum *Malach 1. v 2* Ergo quia nec Scripturæ phrasis & consuetudo, nec Apostoli scopus, nec res ipsa acceptionem hanc improbant, sed illam potiùs urgent, proinde huic significationi tamdiu insistimus, donec urgens ratio, cur hæc acceptio in præsenti loco sit deserenda, detur.

28. Instat Pareus & odium propriè sic dictum intelligendum probare annititur 1. quia aliàs ratio dari non possit, cur Esavum potiùs quàm Jacobum in incredulitate reliquerit, nec fide, sicut Jacobum, donārit. Respondeo (1.) positō, non tamen concessō, Esavum in incredulitate perseverāsse; hinc tamen minimè sequitur: Deum illum absolutō odiō prosecutum fuisse. Sic Judas proditor incredulus permansit, & tamen Deus illum absolutō odiō non est prosecutus: Nam 1. Judas in Adamo ad imaginem Dei conditus 2. per Circumcisionem

in fœdus Dei receptus. 3. In numerum dilectorum Apostolorum cooptatus & partem ministerii sacri sortitus fuit, *Act. 1. v. 17. 4.* Christus amore erga Judam, illum à malo proditionis propositio severissimè sub comminatione æternæ mortis dehortatus est, *Matth. 26. v. 24.* (2) Scriptura sacra rationes assignans, cur hic vel ille incredulus maneat & damnetur, rationem non quærit in Dei odio, sed ipsis hominibus, *Jud. 5. v. 19* mediis salutis vel non rectè utentibus, *Marc. 6. v. 20.* vel etiam planè negligentibus *2. Reg. 17. v. 14. 2 Par. 36. v. 15. 16.* & Spiritui S. contradicentibus, *Act. 7. v. 51.* & disciplinam accipere renuentibus, *Jer. 5. v. 3* Quamvis itaq; Fides non sit omnium, *2. Thess 3. v. 2.* illud tamen non à Deo, quosdam arcanô odiô prosequente, desciscit; ipse namq; omnes ubiq; homines vult *μετανοεῖν* & Fidem illis offert, *Act. 17. v. 30. 31.* sed hominum impiorum culpa est, *Act. 13. v. 6.*

29. Pareus 2. ità argumentatur: Hominem ferocem, prophanum, impium, reprobatum, pœnitentiæ locum non invenientem Deus propriè loquendo odit. Atqui Esau fuit talis, ut constat ex *Heb. 12. v. 16. 17.* E. propriè loquendo illum odit. Resp. Quæstio non est: numme Deus homines impios in quantum tales odiô prosequatur, hoc adeô verum est, ut ipsis Electis in peccata mortalia prolapsis maximè sit infensus: Exemplum habemus in Davide *2. Sam. 11. v. 27. c. 24. v. 10.* Salomone *1. Reg. 11. v. 6.* aliisq; Quæ v. consequentia: Deus homines impios quà tales odit E. horribili & absconditô Dei decretô, æternæ damnationi ex mero beneplacito sunt destinati! Plus certè est in hac posterioris conclusione, quàm fuit in præmissis.

30. Quod attinet in specie locum *Heb. 12. v. 16.* Ubi Esau reprobatus esse dicitur, nec invenisse locum pœnitentiæ. Respondeo: ipse *Pareus in Epist. ad Hebr.* reprobatum esse prosubjectâ materiâ explicat repulsum tulit, *conf 1 Sam. 16. v. 7.* scil. à benedictione paternâ, quæ non præcisè respexit bona spiritualia, sed corporalia, vide *Gen. v. 28. 29.* Spiritualibus tamen non planè exclusis. Deinde Esavus locum pœnitentiæ non invenisse dicitur, quod ipse Pareus rectè exponit non de pœnitentia Esavi, quasi doluerit de admisso peccato, de contempto Deo, de prophanitate suâ, contrarium enim dicitur *Gen. 27. v. 41.* ubi adhuc peccandi propositum habet, quod cum verâ

pœni-

pœnitentia non subsistit, *vide* 1. *Joh.* 2. *v.* 15. sed de benedictione amissa, Et sensus simplicissimus hic est: Esau non invenit locum pœnitentiæ, dum patrem permovere non potuit, ut benedictionem Jacobo collatam, retractaret, licet instanter additis etiam lachrymis id peteret. Pœnitentia itaq; non ad Esavum refertur, sed ad ipsum patrem, quem precibus flectere non potuit Esau, ut quod semel factum, infectum fieret, respectum habet. *Vide Gen.* 27. *v.* 34. *& seqq.* Ex allegato ergo loco nil aliud probatur, quàm Esavum fuisse aliquando impium, non v. additur, in impietate illum perseverâsse, multò minus dicitur Deum ab æterno, occultô & immutabili consiliô, Esavum odisse & ad æternam damnationem merô suô beneplacitô reprobâsse; illud enim assertum universali amori divino erga totum humanum genus è diametro repugnat, ut ex hactenus dictis & præcedentibus Disputationibus abundè satis patet. Consequens nunc esset ad *v.* 14. nos conferre, aliamq; Judæorum objectionem considerare, sed placet illud subsecuturæ Disputationi cum Deo reservare, Nos interim Jehovæ gratis, sine meritis nostris, eligenti nos, gratias agimus, illumq; opus, quod in nobis cœpit, ut perficiat, devotè rogamus, *Phil.* 1. *v.* 6.

בס"ד

I.

ESavus quousq; benedictione fœderali exciderit, nuperà συμφιλολογίᾳ sacrâ consideravimus, ubi imprimis dictum est, Apostolum *Rom. 9. v. 11. 12. 13.* ita exponendum esse, ne illius assertio locis *Gen. 25. v. 23. & Mal. 1. v. 2.* contrarietur, nec analogiam fidei negligendam esse inculeatum fuit. Typi enim & antitypi collatio ita instituenda est, ne quavis inde consequentias contra Spiritus Sancti scopum texamus, sed scopus principalis à Spir. S. intentus unicè considerandus venit, qui hoc loco nullus alius est nisi hic: *promissiones Dei non esse irritas licet Judæi per incredulitatem excisi sint*; promissionem quippè spectare filios non carnis, sed promissionis. Si quis ergò cum *Piscat.* in h. l. dixerit probari hinc promissionem Dei Abrahamo factam pertinere (ex Dei intentione) ad solos electos: Vel ut *Beza* loquitur in Notis majoribus, Deum Jacobum amori & saluti: Esavum odio & exitio destinasse, & ita quidem, ut hoc Dei decretum non ipsas modò personas, sed populos quoq; in de productos comprehenderit; Sive ut *Calv.* in h. l. ait: Habemus ergò totam electionis nostræ firmitudinem in *solo Dei proposito* esse concluſam; illum certè scopum principalem ab Apostolo intentum non attingere, verissimum est. Et ut illud eò magis perspicuum reddatur, aliam judæorum considerabimus objectionem *v. 14.* ab Apostolo positam & repetitam.

2. Apostolus cum dixisset Jacobum Esavo prælatum sine operum consideratione, *v. 11.* objiciunt Judæi, sequi, in justum esse Deum, opera bona non respicientem. Cum enim Deus legem suam eo fine dederit, ut, qui impleverit illam, vivat *Lev. 18. v. 5. Ezech. 20. v. 5. Gal. 3. v. 12.* & judæi in vineâ spirituali pondus diei & æstum portarunt. *Matth. 20. v. 12.* Gentiles contra otiosi steterunt *Matth. 20. v. 6.* abalienati à republicâ Israelis, & extranei à testamentis promissionis, spem non habentes, Deoq; carentes in mundo *Ephes. 2. v. 12.* Ideoq; summè injustum arbitrantur Judæi, Deum legem inter fulgura & fulmina

mina ferentem *Exod. 19. v. 16.* & implentibus vitam æternam promittentem, non respicere opera.

3. Apostolus verò respondet, negando consequentiam, absit inquit, *v. 14.* Quomodo enim ille injustus esset, qui in justitiâ judicabit mundum *Act 17 v. 31* cujus judicium justum est *Rom. 2. v. 5.* quia juste judicat *Jerem. 11. v. 20.* Unde justus est *Jer. 12. v. 1. 1. Johan. 3. v. 7.* in omnibus operibus suis *Dan. 9. v. 14.* v. 14.

4. Negationis verò consequentiam probat. *v. 15.* ex loco *Exod.* v. 15. *33. v. 19. miserebor cujus miserabor, & miserabor quem miseratus fuero.* Qui locus ostendit immerito Deum injustitiæ argui, opera bona quamvis non respiciat; quia ex merâ misericordiâ, sine operum nostrorum respectu, homines ad gratiam vocet; vocavit enim nos vocatione sanctâ non secundum opera, sed secundum suum propositum & gratiam *2. Tim. 1. v. 9.* & non ex operibus quæ sunt in justitiâ, quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam salvos nos fecit, *Tit. 3. v. 5.*

5. Cavendum autem est, ne locum hunc cum Adversariis nostris ita explicemus, quasi misericordia divina adeo libera sit, ut aliquis conqueri non possit, si eam Deus illi non communicet. Ut *Rivetus* in locum *Exod.* commentatur. Qui si de voluntate Dei consequente illud intelligat, rectè loquitur. Si verò cum aliis id ita accipit, quasi ex divinâ intentione, voluntate Dei antecedente, gratia quibusdem non communicetur, eò quod Deus absconditâ in se electione, occulto consilio, liberè eligat, alijs rejectis, quibus incomprehensibili judicio vitæ aditus præclusus sit, ut loquitur *Calvinus Lib. 3 Instit. § 5. & 7.* vel quos gratiâ suâ non dignatus est, dicente *Zanchio de prædest. p. 188* tum certè explicatio hæc universali Divino amori *Disp. 1. & 2.* dictis scripturæ confirmato repugnat.

6. In præsenti loco nihil aliud dicitur nisi hoc: misericordiam Dei contingere hominibus, ex merâ gratiâ, nullo operum merito. Deus ergò quorum miseretur, quosq; in gratiam recipit, horum miseretur, illorum opera & merita non attendens, sed suam misericordiam unicè respiciens. Duo autem scopuli hîc studiosè sunt præternavigandi. Primò, ne misericordiam Dei fingamus absolutam,

Non enim valet consequentia: Deus in miserendo, nulla nostra respicit merita. Ergò misericordia, quâ in gratiam recepti & ad vitam æternam electi, est absoluta ut loqvuntur *Keck Lib. 3. syst. pag. 249 Piscat volum 1. p. 303.* Imo scriptura testatur Deum ab æterno elegisse nos in Christo *Eph. 1. v. 4.* & in Christo largitum nobis fuisse misericordiam *Eph. 4. v. 32.* & dilectionem *Rom 8. v. 39.* & gratiam. *2. Tim. 1. v. 9.* Licet ergò operum nostrorum respectum misericordia divina planè excludat, Christum tamen fide apprehensum minimè excludit. Sicuti enim in tempore justificamur, ita Deus abæterno nos justificare decrevit, propter decreti & executionis harmoniam vide *Zanch. Lib. 5. de Nat. Dei p. 529.*

7. Secundò ne divinam misericordiam dicamus à parte Dei esse particularem, paucos nonnullos homines tantum respicientem. In præsenti enim loco Paulino scopus benè considerandus, qui hic est. Ego misereor cujus misereor, non habito operum respectu, sed solius meæ misericordiæ & gratiæ in filio meo fundatæ: verba itaq; Apostoli misericordiæ divinæ arguunt libertatem; non verò ejusdem indicant particularitatem; id enim disertis Pauli verbis contradiceret *Rom. 11. v. 32.* confer *Job. 3 v. 16.* & repetenda hic sunt, quæ disp. & 2. de universali φιλανθρωπίᾳ dicta sunt.

8. Postquam itaq; Apostolus Deum ex gratiâ in filio misereri, quorum miseretur, non habito dignitatis propriæ respectu, asseruit; *v. 16.* Tandem infert & concludit *v. 16. Itaq; non est volentis, neq; currentis, sed miserentis Dei.* Quæ verba opponuntur imaginationi Judæorum propriâ justitiâ ex lege justificari volentium *v. 32. & Rom. 10. v. 3.* Negat illud Apostolus disertis verbis, non est volentis neq; currentis inquit, indicans salutem nostram à solâ Dei gratuitâ misericordiâ, non verò humanarum virium cursu dependere. Illos proinde esse filios promissionis, qui misericordiæ gratuitæ, non suis operibus innitantur,

9 Hactenus Paulus egit de assumptione in gratiam, & consequenter de ipsâ electione. Quia verò contraria juxta se posita clarius elucescunt, illustre producit exemplum, notorij Ecclesiæ persecutoris Pharaonis scil. unde probat, sicuti immerito injustitiæ Deus arguatur, quia in filio suo dilecto, *Ephes. 4. v. 32.* in quo sibi complacuit

Matth.

Matth.3.v.17. cap.17.v.5. liberè misereatur, quorum misereatur; Ita neq; ullius actionis injustæ accusari potest, cum refractories & contumaces, quorum in numero & ipsi erant Judæi, homines juste punit. Verba Apostoli hæc sunt: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, in hoc ipsum* v.17. *excitavi te, ut ostendam in te potentiam meam, ut annuntietur nomen meum in totâ terrâ.* Verbum ἐξήγειρα non est referendum cum *Piscat* in h.l. ad ipsam Pharaonis contumaciam, ut sensus sit: *excitavi animum tuum ad refractandum mandata mea, & recusandum dimissionem populi mei* similia habet *Zanch. Lib.5 de N.D.p.548* Multo minus de primâ Pharaonis creatione, cum Bezâ in Not. explicandum. Utraq; enim explicatio fidei analogiæ repugnat. Si enim Deus seriò voluit, idq; per Mosen & Aaronem indicavit *Exod.4.v.1. c.10* ut dimitteret populum; Utiq; idem Deus non excitavit Pharaonem ad omnia illa scelera, quæ egit, mala, ut impiè loquitur *Zanch.* supra allegato loco. Pugnant enim invicem, Deus excitavit ad indurationem cordis, Et tamen voluit contrarium, populi sc. dimissionem Ut nil dicam Deum propterea puniviſſe Pharaonem *Exod.14.v.27.* quod populum dimittere noluerit. Quomodo verò Deus cujus est ultor & osor, illius esset auctor,

10. Refertur ergò verbum, *excitandi* ad finem quem Deus ex indurationne Pharaonis elicuit, quando superbissimi tyranni contumaciâ, ad nominis sui gloriam illustrandam, ac potentiam demonstrandam benè usus est, Quod indicant 70 interpretes dum ajunt διετηρήθης conservatus es. Sive ut in Hebræo dicitur הַעֲמַדְתִּיךָ feci te stare, non perciſſi te cum pecudibus, quod tamen potuissem, tuq; meritus fuisses, idq; eo fine ut malitiâ tuâ beneuterer,

11. Indicat ergò exemplo hoc illustri Apostolus, Deum justissimum esse, etiamsi propter antegressa scelera, tanquam justus judex pertinaces ac pravaricatios homines juste puniat. Hisce itaq; ab Apostolo pro defendendâ Dei justitiâ pramissis, conclusio tandem infertur *v.18 Itaq; cui vult misereatur, quem autem vult indurat.* Verba hæc v.18. conclusionem præcedentium continent Quia verò in conclusione plus esse non deberet, quam in præmissis antè fuit: Præmissa illud solum indicant, Deum injustum non esse, licet exemplâ gratiâ sine ope-

cum intuitu misereatur piorum in Christum credentium, & contumaces elatâ manu, ut loquitur scriptura *Num. 15. v. 30.* delinquentes, dignè puniat. In utroq; enim opere Dei justitiam maximè esse conspicuam, sive misereatur, sive puniat, Apostolus indicat.

11. Cœterum induratio, quæ de textus loquitur, justissima præcedentium peccatorum pœna est. Et indurare Deus dicitur, non quasi impij homines *destinato fuerint creatus perirent*, sicuti loquitur *Calvinus* in h. l. sed quando gratiam oblatam divinam impij respuunt, & iteratas & plusquam paternas admonitiones malitiosè contemnunt, tum Deus gratiam suam subtrahit, hominesq; Diabolo occæcandos tradit, id est, ut Paulus inquit: indurat. Induratio ergò Deo tributa non notat duriciei alicujus immissionem, aut internam contumaciæ in hominibus impiis operationem, adeò ut cum *Junio ex Not. Bibl. ad cap. 4. Exod. Deum esse causam obstinationis* dicamus.

12. Utq; hoc eo melius intelligamus ex scripturâ considerandum erit, quibus personis induratio in sacris tribuatur. 1 Induratio & occæcatio Ecclesiæ tribuitur ministris & Prophetis *Esa. 6. v. 10. Joh. 12. v. 40.* quando verbum Dei proponunt, quod autoribus debebat esse odor vitæ ad vitam, verum propriâ hominum malitiâ ex accidenti fit odor mortis ad mortem *2. Cor. 2. v. 16.* conf. *Actor. 28. v. 27.* sicut sol occæcat oculos lippos, qui tamen per se est causa lucis, non occæcationis, aut tenebrarum 2. Diabolo, qui non tantum malas cogitationes immittit *Joh. 13. v. 2.* sed & efficaciter homines indurat, corda impiorum malitiâ implendo *Actor. 5. v. 3.* excœcando *2. Cor. 4. v. 4.* ad malum tentando. *1. Cor. 7. v. 5.* conf. *Matth. 13. v. 28. 2. Cor. 2. v. 11. Actor. 13. v. 10. 2. Tim. 2. v. 16.* 3. Ipsis hominibus Diabolo consentientibus, & Spiritui Sancto resistentibus *Act. 7. v. 51. Deut. 10. v. 16.* qui indurant cervicem suam *2. Reg. 17. v. 14.* & aures suas aggravant *Zach. 7. v. 10.* cor indurant *Exod. 8. v. 32. & 9. v. 35.* oculos occludunt *Matth. 13. v. 15.* ne convertantur *Actor. 28. v. 27.* 4. Tandem ipsi Deo *Exod. 4. v. 21. & 10. v. 1.* qui indurare dicitur homines pertinaces, disciplinam recipere renuentes *Jerem. 5. v. 3.* non de novo duritiem cordis creando, naturâ enim cor humanum

num durum est & lapideum *Ezech. 11. v. 19. c. 36. v. 26.* sed impios ob antegressa peccata & enormia scelera justo judicio dimittendo *Zach. 8. v. 10. Psal. 81. v. 12. 13.* in viis suis permittendo, *Actor. 14. v. 16.* sese avertendo Satanæq; puniendos tradendo *Rom. 1. v. 24. 28. Act. 7. v. 42.* gratiam ab iis auferendo *Matth. 13. v. 12. c. 25. v. 29.* Quæ omnia *Augustin.* contrahit dicendo *Epist. 105. p. 522.* nec indurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam. Quando vero Deus justo judicio subtrahit gratiam & homines deserit, nil nisi spiritualis cœcitas remanet. Sicuti ergò sol inducit tenebras, nostrum horizontem relinquens; Ita Deus profanos & contumaces homines deserens, eos indurat, gratiam subtrahendo & Satanæ tradendo, ut ex hactenus dictis liquet.

14. Ex hisce humana temeritas aliam formal objectionem. Si enim Deus misereatur liberè quorum vult, & indurat ob præcedentia peccata quos vult, Cur ergò de nostrâ impietate conqueritur, cum voluntati illius nemo resistere queat. Verba Apostoli hæc sunt *v. 19.* *Dices ergo mihi: quid adhuc (Deus) conqueritur, voluntati enim ejus quis resistit.* Quæ verba non accipienda sunt cum *Zanchio Libr. 1. de Nat. Dei cap. 2. p. 149.* alijsq; quasi hic sit sensus: Deum non posse meritò de induratis, eoq; de reprobis conqueri quod peccent: idq; duplici ratione. Primum, quod indurati ac reprobi, cum peccant, faciunt ea, quæ ipse ab iis vult fieri. Deinde, quod non possint etiam aliter facere reprobi indurati, quàm peccare, si eos ad hæc reprobat & indurat. Et subjungit Zanchius: Deum ea velle, ad quæ homines indurat. Item induratos ex Dei voluntate non posse aliter facere, quàm peccare. *v. 19.*

15. Confundit verò Zanchius hominum impiorum & induratorum vanam objectionem, & Apostolicam asserionem. Apostolus non asserit Deum non posse conqueri de induratis, illud enim concionibus Prophetieis & Apostolicis contrarium est. Vide *Prov. 1. v. 24. 2. Par. 36. v. 15. 16. Esa. 1. v. 4. Jer. 5. v. 1. & seqq. 2. Cor. 1. v. 20. 1. Joh. 1. v. 8. 9.* & passim. Neq; dicit reprobos peccantes ea facere quæ Deus fieri velit, contrarium enim verum *Psal. 5. v. 5. Esa. 66. v. 12. 2. Reg. 17. v. 17.* & passim. Neq; tertiò ait reprobos ex Dei voluntate peccare. Imo

impij cum peccant, voluntati Dei resistunt *Actor. 7. v. 51. 1. Thess. 4. v. 7. Esa. 65. v. 2. Matt. 23. v. 37. 1. Tim. 2. v. 4.*

16. Vana ergò indurationum hominum objectio, non est Apostolica assertio. Nec est, ut quis ex responsione Pauli assertionem alia-
v. 20. quam inferat. *v. 20. Tu quis es ô homo qui ex adversor responsis Deo, num dicit figmentum fictori, cur me finxisti in hunc modum?* indicatur enim creaturam non debere rationem factorum & consiliorum Dei exigere. Quod illustratur similitudine figuli, vasa aliud ad usus honestos, aliud verò ad usus minus decentes & fœdos efformantis.

17. Hic verò diligenter notandum est, ne similitudo illa extra Apostoli scopum, contra fidei analogiam extendatur. Sicuti enim dicente *Chrysostom. Hom. 65. in Matt. p. 160.* in parabolis non oportet nimia in singulis verbis cura perangi. Sed cum, quid per parabolam intendatur, didicerimus, inde utilitate collectâ, nihil ulterius anxio est conatu investigandum. Ita & in hac similitudine faciendum, non enim omnia illius membra salvâ fidei analogiâ applicari possunt. Scopus ergò Apostoli hic est, Deum liberè agentis justitiam ab improborum hominum cavillationibus & iniquo murmure vindicare, sumptâ si-
v. 21. militudine à figulo. Ut enim ille potestatem habet liberè fingendi vasa honorifica, & aliis usibus minus honestis destinata: multo minus Deus reprehendi potest, si ex gratiâ misereatur quorum vult, aliis contumacibus ac præfractis hominibus induratis. Si enim figulus ex eadem materiâ non repugnâte diversa facit, sine ullâ reprehensione vasa gloriæ & ignominiæ: Deus utiq; salvâ justitiâ, imo eadem illud exigente, hominibus contumaciter reluctantibus gratiam justè subtrahit, eosq; Diabolo puniendos propter præcedentia illorum peccata tradit,

18. Sedulò autem observandum est, sermonem hic esse de *vasis iræ & vasis misericordiæ*. De quibus diversæ, benè observandæ in textu occurrant locutiones, De prioribus dicit Paulus v. 22. *Quod si Deus volens*
v. 22. *ostendere iram & notam facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate, vasa iræ apparata in interitum.* Primò dicuntur vasa iræ, ergò Deus illa non fecit, sive non sunt ad interitum facta & formata, *ut Calvin.* in h. l. ait, sed invenit. Ita enim Dei illius displicentiam & pœnam indicat vide. *Joh. 3. v. 36. Rom. 2. v. 5. 6. 7. 8.* Ergò cujus est osor & ultor, illius

rei

rei Deus non est auctor. Atqui vasorum iræ, Deus est ultor & osor. Ergò illorum non auctor. Accedit quod Deus ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ multa animi lenitate vasa illa tulerit. Illorum itaq; non est effector. quam enim Deus rem perfert multâ animi lenitate, illam non probat nec illius auctor conf. *Rom. 2. v. 4. 2 Petr. 3. v. 9.* Tertiò vasa illa dicuntur κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν apparata in interitum non ut *Calvinus* ait, in æterno & inexplicabili Dei consilio, devota & destinata exitio. Sive ut *Piscator* inquit: reprobos à Deo esse conditos ad interitum & sempiternum exitium, sicut vasa quædam à figulo coagmentantur ad dedecus, seu usus muris honestos, confer *Junium* idem dicentem in Not. Biblicis & *Marloratum*, *Parœum* aliosq;.

19. Verbum enim καταρτίζω non cum *Beza* ad ipsam primam creationem referendum, est enim verbum generale, vide *Matt. 4. v. 21. & 21. v. 16. Marc 1. v. 19. 1 Petr. 5. v. 10. Gal. 6. v. 1.* & hoc loco notat vasa iræ esse apparata, à Diabolo sc. & propria voluntate, *Ose. 13. v. 9. Rom. 5. v. 12. 18. 19.* non autem ab ipso Deo ad interitum: Deus enim hominem condidit rectũ *Eccles. 7. v. 30.* ad suam imaginẽ *Gen. 1. v. 27.* quæ in justitiâ & sanctitate sita fuit *Ephes. 4. v. 24.* non autẽ ad sempiternum exitium. Imago enim Dei & æterna damnatio invicem pugnant. Qui ergò conditi sunt ad divinam imaginem, id est, justi & sancti, illi non sunt conditi ad æternam damnationem. Atqui omnes homines conditi sunt ad divinam imaginem. Ergò non sunt conditi ad æternam damnationem. Hactenus de vasis iræ quæ Deus invenit & magnâ lenitate toleravit, non verò, fecit, nec eadem ad interitum creavit, licet Diaboli invidiâ & propriâ voluntate ad exitium sint apparata.

20. De posterioribus vasis scilicet misericordiæ Paulus ita ait *v. 23.* *& ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ quæ præparavit ad gloriam.* Observandũ hic est, non indefinitè & passivè dici, ut de vasis iræ, præparata: sed προητοίμασεν εἰς δόξαν præparavit in gloriam. Vasa enim iræ Deus præparata invenit, non verò Deus figulus est, ea coagmentans, h. e. creans, ordinans, ut *Parœus* in h. l. loquitur. Verum vasa misericordiæ Deus juxta divitias gloriæ suæ præparat, non præparata invenit. Atqui hæc de secundâ capitis hujus parte dicta sunto.

21. Post-

Pars III. n. 24 21. Postquam parte 2. Paulus Judæorum rejectionem exposuit, de gentium ad Ecclesiam vocatione agere pergit. Quia verò & hæc Judæis esse præteritos, conqueri poterant, negat id Apostolus indicans, quod ita Deus vocarit gentes, ne tamen Judæi credentes excluderentur. Verba Apostoli hæc sunt: *Quos & vocavit nos* v. 24 *solos ex Judæis, sed & gentibus.* Quoniam vero Judæi salutem hanc gentibus invidebant *Actor. 17. v. 5. 13. 13. v. 45.* utraq; cùm Judæorum, tùm Gentilium vocatio scripturæ dictis non præcisè ipsa litera, sed sensu verborum retento, confirmatur. Et primò qui-
v. 25. dem gentes ad Ecclesiam vocatas, probatur testimonio Oseæ gemi-
26. no: primo ex *cap. 2. v. 23.* ubi dicitur: *Dicam vocaturum populum, qui populus non erat, & eam quæ dilecta non erat, dilectam.* Item ex *cap. 1. v. 10. & erit in loco ubi dictum fuerat; non populus meus vos; ibi vocabuntur filij Dei viventis.* Quod vaticinium ipse quoq; Petrus *1. Epist. c. 2. v. 10.* gentibus accommodat.

22. Dicuntur autem gentiles, ante conversionem, non populus, non dilecti, quia erant instar oleastri *Rom. 2. v. 17.* versantes in tenebris *1. Petr. 2. v. 9.* & voluntatem gentium patrabant in lasciviis, concupiscentiis, violentiis, compotationibus, & nefariis simulacrorum cultibus *1. Petr. 4. v. 3.* & ad simulacra muta ducebantur *1. Cor. 12. v. 2.* mentem habentes obtenebratam; abalienati à vitâ Dei, propter ignorantiam & excæcationem cordis eorum *Ephes. 4. v. 18.*

23. At postquam per Christum Jesum propinqui facti *Ephes. 2. v. 14.* & lux in Domino *Ephes. 5. v. 8.* & consortes radicis & pinguedinis veræ oleæ *Rom. 11. v. 17. 24.* sunt dilecti in dilecto, *Rom. 8. v. 39.* & filij Dei viventis vocabuntur, id est, stylo scripturæ, revera erunt; vide phrasin *Matth. 5. v. 9. 19. 6. 21. v. 13. Luc. 1. v. 35.* omnes enim filij Dei sunt qui in Christum credunt *Gal. 3. v. 26.* Quod beneficium considerans Johannes exclamat *1. Epist. c. 3. v. 1* videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij Dei nominemur.

24 Reliquorum Israelis ad Ecclesiæ gremium vocatio testimonio
v. 27. Prophetæ Esaiæ *c. 10. v. 22.* stabilitur; *si fuerit numerus filiorum*
28. *Israel ut arena maris, reliquiæ salvæ erunt.* Cujus versiculi, ut & sequentis

quentis hic simplicissimus sensus est; Judæos pleroſq; propter summam illorum ingratitudinem & impietatem à Deo esse rejectos, paucissimis tantum, & quasi reliquiis ex tanto numero, in Christum credituris; conservatis. Et in hunc scopum. v. 29. dicitur: *nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, ut Sodoma facti fuissemus & Gomorrhæ fuissemus*, id est nullas plane Salvandorum reliquias habuissemus. v. 29.

25. Hactenus ergò sufficienter demonstravit Apostolus gratiam & consequenter salutem, non dependere à carnali Israelis posteritate, siquidem plerisq; Judæis ob præfractam malitiam rejectis, gentes in illorum locum surrogatæ sint. Quæ licet non sint filij carnis, sint tamen filij promissionis.

26. Quia vero Judæis illa assertio dura & intolerabilis videbatur, Apostolus capitis parte quartâ & ultimâ causas cùm assumptionis gentium in gratiam & salutem; tùm rejectionis Israelis à gratiâ & salute consequenter subjungit. v. 30. *Quid igitur dicemus? gentes quæ nō sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiā, justitiā autē eā quæ est ex fide*, v. 31. *contra Israel qui sectabatur legē justitiæ, ad legē justitiæ non pervenit*. v. 32. *Propter quid? Quia nō ex fide, sed tanquàm ex operibus legis.* Pars IV. v. 30. v. 31. v. 32.

27. Quæ verba ipse Paræus non malè explicat p. 856. hoc modo Docet Apostolus, non esse cur causæ rejectionis Judæorū & assumptionis gentium procul quærantur: cùm proximè sint in omnium oculis. Hæc ille. Judæi enim ignorantes Dei justitiam (id est quæ coram Deo valet, quam Christus, qui factus est nobis justitia 1. *Cor. 1. v. 30.* morte suâ nobis acquisivit, quæq; verâ fide credentibus applicatur *Phil. 3. v. 9.*) propriam justitiam legalem imperfectam *Phil. 3. v. 6. Rom. 10. v. 3.* quærentes in observatione legis forensis, ceremonialis & moralis sitam, vide *Act. 15. v. 1. 5.* justitiæ Dei non fuerunt subditi. Nam perfectio legis Christus, ad justificationem omni credenti *Rom. 10. v. 4.* & justitia Dei per fidem Jesu Christi *Rom. 3. v. 22.* Si enim data fuisset lex, quæ posset vivificare, verè ex lege esset justitia, sed concluſit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Jesu Christi daretur credentibus *Gal. 3. v. 21. 22.*

28 Gentes è contra justitiam propriam non sectantes, apprehenderunt justitiā verā, quæ est ex fide. Fide enim justificamur, nō verò operibus *Rom. 3. v. 28.* Scimus enim nō justificari hominē ex operibus legis,

nisi per fidem Jesu Christi, & nos in Christum credidimus, ut justificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: Propterea quod non justificabitur ex operibus legis omnis caro. *Gal. 2. v. 16.* Hanc Christi justitiam gentes verâ fide fecerunt suam *Col. 3 v. 6.* Qui enim in Christum credit, illi imputatur fides sua ad justitiam, & Deus imputat justitiam, (Christi scil.) absq; operibus. *Rom. 4. v. 5. 6.*

29. Cum itaq; Judæi ex operibus legis justificari volentes, *impegerint in lapidem offendiculi*; qui enim per legem quærit justitiam, illi Christus frustra mortuus est *Gal. 2. v. 21.* proinde meritò à gratiâ & consequenter salute æternâ, nisi resipiscant, excluſi sunt; qui enim Christum rejicit, per quem remissio peccatorum annuntiatur & non per legem Mosis: per illam enim non potuimus justificari *Actor. 13. v. 38.* illi nulla amplius reliqua est hostia expiatoria *Hebr. 10. v. 26.* in nullo enim alio salus est nisi in nomine Christi *Actor. 4. v. 12.*

30. Cæterum quando Christus dicitur lapis offendiculi, de quo
V. 33. scriptum sit *Esa. 8. v. 14. Ecce pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis*; notandum est, illud fieri ex accidenti, culpa hominum, quatenus lapis ille Christus, ædificantibus incredulitase rejicitur *Actor. 4. v. 11.* Lapis ergò ille habet usum & abusum. Primus à Deo intenditur, videlicet hominum salus *Actor. 13. v. 39. cap. 16. v. 31. Rom. 10. v. 9.* Secundus ex ipsis est hominibus, quibus ex accidenti propriâ illorum culpâ positus est in ruinam, qui tamen unicè illorum salus & resurrectio esse debebat *Luc. 2. v. 34.*

Atque hæc pro ratione instituti de *cap. 9. Epist. ad Rom.* dicta sunto.

CUM

CUM DEO.

I.

EXpeditis tribus primariis adversariorum nostrorum argumentis, reliqua breviter disputatione hâc percurrere & intimiùs considerare placet. Quod ergò Deus quibusdam hominibus prætermissis, quos æternæ damnationi addixit, ut loquitur *Wendelinus cap. 2 de objecto prædestinationis, p. 4.* non omnium velit salutem, probant Adversarij (1.) ex *Proverb. 16. v. 4.* de quo loco ita *Polanus alii Lib. 6. Syntag. cap. 32. p. 913.* finis hominis subordinatus ad futurum seculum pertinens, distinctus est juxta distinctionem hominum ab æterno factam à Deo. Nam homines electi ad vitam æternam, sunt creati ad vitam æternam, *reprobati autem sunt creati ad mortem æternam*, hoc docent Scripturæ Sacræ testimonia *Proverb 16. v. 4. Rom. 9. v. 21. 22. 23.* ultimum testimonium superiori disputatione examinatum fuit. Ex priori ita argumentatur Polanus: Qui creatus est ad æternam mortem, illius Deus non vult salutem. Atqui impii sunt creati ad æternam mortem. Ergò impiorum Deus non vult salutem.

2. Respondeo. Salomonem non agere de prima hominis creatione, tum enim nulli homines impii fuerunt. Deus enim quæ creaverat vidit fuisse valde bona טוֹב מְאֹד *Genes. 1. v. 31.* & insuper homo ad Dei imaginem fuit conditus, quæ utpote in justitiâ & sanctitate verâ consistens *Ephes. 4. v. 24.* cum pietate subsistere nulla ratione potuit. Quæ enim concordia Christo cum Belial? aut quæ pars fideli cum infideli? *2. Cor. 6. v. 15.* Et frivolum est, quod excipit Piscator *vol. 2. p. 180.* in uno creavit omnes, non uno fine: Sed alios quidem præparavit ad gloriam, alios verò coagmentavit ad interitum. Quasi κατηρτισμένα sit activum, & non potiùs passivum, sicuti uberius videri potest ex disp. præcedente Thes. 18. 19.

3. Et hanc veritatem, textum *Proverb. 16. v. 4.* non loqui de creatione,

tione, nobiscum agnoscit *Wolffgangus Musculus Dusanus* quando loco *de creatione p. 12.* ita ait: Locus ille *Proverb. 16.* quo Salomon dicit: omnia operat ut Dominus, propter semetipsum, & impium quoque ad diem malum, non est ad hanc creationit operationem adducendus. Loquitur enim Salomon illic, *non de creatione*, licet omnia propter semetipsum Deus ipse principium & finis omnium condiderit, *sed de providentia & gubernatione* illius, quâ omnia sic gubernat, etiam impiorum animos, ut ad gloriam suam faciant. Cavendum igitur est: ne quis ex Salomonis verbis malè intellectus & applicatis, colligat *condidisse Deum impium ut impium.* Nam impius ut impius non est ex Deo, sed ex patre Diabolo *Joh. 8.* Hactenus *Musc.* Et Lavat. in hunc locum ex eadem Schola ejusdem est sententiæ.

4. Excipit Polanus allegatô locô, testimonium hoc non posse eludi, eô quòd in textu Hebræo non usurpetur verbum בָּרָא aut עָשָׂה sed פָּעַל cum hoc postremum verbum non minùs de creatione usurpetur ac prima duo, quemadmodum *Proverb. 8. v. 22.* dicit Sapientia illa æterna, id, est æternus filius Dei: Jehova possedit me principiô viæ suæ מִפְעָלָיו ante opera sua. Respondeo, esse elenchum à particulari. Aliquando פָּעַל usurpatur de creatione. Ergo & hôc locô. Dantur enim & alia loca ubi non notat creationem, sed in genere, Dei operationem. *Esa. 22. v. 12.* quæ quoq; malum pœnæ respicit *Job. 22. v. 17. Psal. 44. v. 2. Psal. 46. v. 9.* Unde talis operatio פָּעַל אֱלֹהִים dicitur *Psal. 64. v. 10.* Et hæc acceptio hujus loci propria. Jehova ergò פָּעַל רֶשַׁע לְיוֹם רָעָה non creando malitiam impii, sed impium, exigente id justitiâ divinâ, meritis pœnis ab peccata commissa efficiens. Dies malus ergò debitas peccatorum pœnas notat, ut aliàs, vide *Jer. 17. v. 18. Eccles. 7. v. 15. Psal. 41. v. 2. Psal. 49. v. 6.* Argumentum itaq; inverti potest, Si namq; Deus impietatem hominis punit, utiq; illam non operatus est; cujus enim Deus est ultor, illius rei non est auctor.

5. Replicat Polanus: Lutherus non aliter locum hunc interpretatus libro de servo arbitrio ad Erasmum Roterodamum. Respondeo: falsum dicit Polanus, Lutherum affirmare, creâsse Deum impium, ex-

pressis

pressis enim verbis ait, quòd, quæ Deus fecerat, fuerint valde bona. Distinguit autem Lutherus locô allegatô: Inter primam creationem, & inter hominis creati per lapsum deformationem. De ultimo dicit, Deum ita hominem, qualem invenit, formare per generationem. Quomodo enim non sit impius ex impio semine? sicut *Psal.* 51. dicit: Ecce in peccatis conceptus. Et Job. Quis potest facere mundum de immundo semine? Licet enim (addit Luth.) Deus peccatum non faciat, tamen naturam peccatô, subtractô Spiritu, vitiatam, non cessat formare & multiplicare. Juxta Lutherum itaq; Deus non creat malitiam in homine, sed, qualem post lapsum invenit, formar. Quid autem hoc ad primam creationem, de qua quæstio est. Luth. hanc esse mentem constat ex p. 213. ubi ita inquit: Quasi de creatione dixerim ego, & non magis de operatione illa assidua Dei in rebus cretis.

6. Et hoc adeo verum est, ut *Polanus subjungat*, p. 917. non jam loquimur de primâ creatione, quâ creati sunt Adam & Eva, ambo ad vitam æternam & non ad mortem, de qua creatione *Gen* 1. & 2. Sed de operatione Dei post lapsum hominis. Resp. bene est; illa autem operatio est universalis: æquè Deus format Petrum ex corrupto semine, quàm Judam proditorem. Licet hic propriâ culpâ damnetur; aliter verô pœnitentiam agendo salvatus sit. Quæ autem est sequela: Deus post lapsum assiduè operatur, formando homines ex vitiato semine. Ergò quorundam non vult salutem. Detur enim ratio, & quidam solida ex Scriptura. Cur Deus omnium hominum in corruptione æqualium, non velit misereri, sed tantùm quorundam, quos ab æterno sine fidei & meriti Christi intuitu elegerit. Imò potiùs ita concludimus ex ipso Polano: In primâ creatione Adam & Eva ad vitam æternam & non ad mortem creati sunt. Ergo omnes homines ad vitam æternam creati. Ratio est: Quia protoplasti nostri considerabantur, nô ut individua, sed ut species & fons totius generis humani, quatenus in iis omnes homines continebantur. Tota itaq; natura humana in iis repræsentabatur. Illi itaq; cùm ad vitam æternam, non verò mortem, fatente Polanô, creati: Sequitur evidenter, omnes homines ad vitam æternam conditos esse. Qui ergo sunt condit ad vitam æternam, illorum Deus vult salutem. At omnes omnino homines sunt

conditi ad vitam æternam. Ergò omnium omnino hominum Deus vult salutem. Et tantùm de loco primo.

7. (2.) Sententiam suam probabilem reddere volunt ex *Rom. 8. v. 28 29.* Unde *Piscator vol. 2 p. 178.* ita argumentatur: Quicunq; non singulos homines, sed tantùm aliquos sibi proposuit salvos facere; non singulos, sed tantùm aliquos præcognovit & prædestinavit; & non singulos, sed tantùm aliquos in Christo elegit *Ephes. 1. v. 4.* Ille non vult omnium salutem. At prius est verum. Ergò & posterius. Respon. confunditur in locis allegatis actualis salvatio cum propensione ad salvandum. Quæ duo semper ab adversariis nostris confunduntur. Non omnes homines salvantur proh dolor certum, sed potior & major hominum pars damnabitur; porta enim lata est & spaciosa, quæ in exitium abducit & multi sunt qui ingrediuntur per illam. Et angusta est porta & stricta via, quæ abducit ad vitam & pauci sunt, qui inveniunt illam, dicente veritate *Matt. v. 13. 14.* At quæ consequentia: pauci actu salvantur. Ergò illos tantùm Deus salvos fieri vult. Perinde si quis ita colligeret: nuptiis spiritualibus pauci interfuerunt *Matth. 22 v. 5.* Ergò Rex non voluit illos absentes nuptiis interesse, textus contrarium dicit *v. 7.* & *Luc. 14. v. 21.* Sic fides salvifica culpâ hominum *Luc. 8. v. 5. 6. 7.* non est omnium. *2 Thess. 3. v. 2.* & tamen Deus omnes ubiq; vult resipiscere, quos aliquando judicio extremo sistet. *Act. 17. v. 30. 31.* Hinc qui non salvantur, eò quod non crediderunt (debebant ergò) damnantur *Joh. 3. v. 18.* Valetne consequentia: non omnes actu credunt, itaq; Deus omnes credere non vult.

8 Potentissimus Rex Persarum Cyrus, concessit omnibus Judæis in terram suam redeundi potestatem *2. Par. 36. v. 23. 1. Esdræ. 1. v. 1.* non verò omnes regnante Cyrô reversi sunt in patriam. Quis inferet? non omnes reversi sunt, Ergò Cyrus non voluit omnes redire. Apostoli Christi legati orant omnes auditores suos, ut Deo reconcilientur. *2. Cor. 5. v. 20.* maxima auditorum pars illud negligit. *Act. 17. v. 32.* procedit ne illatio? non omnes reconciliantur. Ergô Apostoli id non voluerunt. Contrarium certè ex Apostolorum indefesso labore constat. *Rom. 15. v. 19. 20. 21. 1. Cor. 15. v. 10.* &

ro: & ergo auditores infucato amore 1. *Thess.* 2. v. 7. 8. 1. 12. haud dissimili ratione, quamvis non omnes, culpâ tamen propriâ, salventur: Nullô tamen colore inferri potest: Deum non omnes velle fieri salvos. Nam à negatione actus salutis, ad probandam negationem propensionis ejusdem, infirma est consequentia. Quâ de in probatione nostræ sententiæ uberiùs superioribus disputationibus dictum est.

9 In specie quod attinet allegata loca: in primo *Rom.* 8. v. 28. non dicitur, quos Deus voluntate antecedente salvos fieri velit. Sed quinam actu salventur, mediis salutis rectè juxta Dei ordinem utentes. Agit enim Apostolus in specie de electis ut ex v. 33. videre. De illis dicit, quod κατὰ πρόθεσιν vocati sint, quod non explicandum est, de proposito aliquo absoluto in abysso divinorum decretorum fundato, nihilq; præter Deum, ipsiusq; absolutam voluntatem respiciente, sed tale intelligit Apostolus propositum, quale in executione cernitur, & in verbo Dei revelatum est. Decrevit igitur Deus omnibus offerre salutem, dum non vult ut ullus pereat 2. *Pet.* 3. v. 9. 1. *Tim.* 2. v. 4. Quia verò non omnes salutis mediis rectè utuntur, proinde propriâ suâ culpâ salute excidunt. Πρόθεσις ergò Dei, quatenus in ipso Deo consideratur, à parte ipsius est universalis, in universali fundata φιλαθρωπίᾳ. Et sic quoq; Deus pereuntium vult salutem *Ezech.* 18. v. 32. Verum hôc locô ipso dicente Pareo in Epist. ad Rom. Πρόθεσις strictissimè sumitur & solam electionem, seu prædestinationem sanctorum significat. Quilibet itaq; animadvertit consequentiam hanc vacillare: non omnes homines sunt electi, seu prædestinati. Ergò Deus illorum non vult salutem. Judas certè non erat ex electorum numero, & tamen Christus illius interitu non est delectatus, ut videre est *Matth.* 26. v. 24. *Marco.* 14. v. 21. Paulus sciens plerosq; Judæos propter incredulitatem defractos esse *Rom.* 11. v. 20. magnô tamen desideriô illorum exoptat salutem *Rom.* 10. v. 1. c. 11. v. 24. Ergò à particularitate electionis, ad particularitatem propensionis ad salvandum, nulla est sequela. Falsum itaq; dicit Piscator, Deum non singulos homines,

nes, sed aliquos tantùm sibi proposuisse salvos facere. Cum illud ex allegato loco, ut ex hactenus dictis constat, malè deducatur,

10. Eadem ratio est loci secundi ex *Rom. 8. v 29.* In illo enim non agitur de προγνώσει aliqua generali, sed electorum speciali. Quos itaq; Deus προέγνω præscivit in filium Dei perseveranter, credituros *1. Tim. 1. v. 16. Tit. 1. v. 1.* & in gratiâ acceptâ perseveraturos, *Act. 13. v. 43.* ac propositò cordis Domino adhæsuros *Act. 11. v. 23.* illos προώρισε præfinivit sive prædestinavit conformandos imagini filij sui. Actu ergò illi tantùm salvantur; licet Deus & alios salvare voluisset, modò mediis salutis rectè usi fuissent. vide *Act. 13. v. 46.*

11. Ejusdem quoq; farinæ est tertius locus *Ephes. 1. v. 4.* consequentia enim hæc est: Deus in Christo non omnes elegit. Ergò non vult omnium hominum salutem. Hanc claudicare consequentiam, ex eo evidens est, quia confunditur id, *quod Deus velit, cum eo quod homines actu faciunt.* In electione enim divina non tantùm respicitur Dei ad salvandum propensio: sic enim longe plures ad vitam æternam eligisset homines, imò omnes actu salvos reddidisset, quia cunctos homines vult salvos fieri, & ad veritatis agnitionem venire *1. Tim. 2. v. 4.* Sed & fit respectus ad homines media salutis vel respuentes vel accipientes. Inde electio dicitur fieri κατὰ πρόγνωσιν Θεοῦ πατρὸς. *1. Pet. 1. v. 2.* Qui ergo media respuunt & contemnunt, non eliguntur, quamvis aliàs voluntate antecedente bene illis Deus cupiat. vide *Act. 22. v. 18.* Qui autem salutis media attendunt, & fructum in patientiâ ferunt *Luc. 8. v. 15* & per verbum prædicatum Dei populus fiunt. *Act. 18. v. 10. 11.* illi sunt electi *1. Cor. 1. v. 27. 28.* in dilecto *Ephes. 1. v. 6.* Quilibet ergò non cæcutiens videt particularitatem electionis non inferre præteritionem quorundam hominum (ex absoluto decreto promanantem) & propensionis ad salvandum negationem, ut ex hactenus dictis abundè constat, homini oculos spiritualiter non claudenti. Conf. *Matth. 13. v. 15. Act. 28. v. 27.* Argumentum ergò Wendelini, quod format *cap. 2. p. 5.* nos non ferit. Electio, inquit, non est omnium,

mnium, sed aliquorum duntaxat ex omnibus. Prædestinatio ad vitam æternam est electio, testibus sacris literis. Ergò omnium non est, sed aliquorum tantùm ex omnibus. Quis hoc negat Wendelino, sed quid inde concludere possis, ex disputatis patet.

12. Ad hanc classem quoq; referendi sunt loci, qui urgentur à Piscatore, ut & Wendelino, aliisq; *Matth. 20. v. 6. c. 22. v. 4. Joh. 13. v. 18.* Multi sunt vocati, pauci verò electi. Nam quòd pauci electi sunt, causa non est præteritio divina salutem invidens, sed ipsorum hominum media contemnentium culpa, sicuti id ad oculum patescit ex allegatis locis. In primo enim cur multi quidem vocati, sed pauci electi, causa redditur, quia fuerint murmurantes; Judæi scilicet miseris gentibus salutem invidentes & suæ justitiæ confidentes. Sicuti id non solùm Scopus parabolæ, sed & acta Apostolica passim testantur. In loco secundo culpa certè non residet penes Deum vocantem, sed homines vocationem negligentes ut *v. 5. 7. & seqq.* testantur. in tertio hoc solùm dicitur, scire Christum, quos elegerit, voluisse autem Deum libenter Judam salvatum, cujus causa hæc dicuntur, non solùm testatur Judæ in numerum Apostolorum cooptatio, sed & à proditione dehortatio. *Matth. 26. v. 23. 24. Marc. 14. v. 21.* Ergò nec hic locus quicquam Adversariis favet.

13. (3.) Piscator ita colligit; qui non singulos, sed tantùm aliquos vocat efficaciter: ille omnium non vult salutem. At Deus non singulos, sed tantum aliquos vocat efficaciter. *act. 14. v. 16. Psal. 147 v. ult. Matth. 13. v. 11. Joh. 6. v. 36 37. c. 10. v. 26. Rom. 8. v. 30.* Ergò non omnium vult salutem. Resp. ad 1. nihil aliud ibidem dici, quàm quòd Deus in V. T. ubi ordinariè Ecclesia certis inclusa erat limitibus, gentes non ita directè, ut in N. T. Apostolorum tempore factum est, vocârit, Quæ verò consequentia: gentes non eô modô in V. T. vocatæ sunt, ut in N. factum. Ergò illarum Deus non voluit salutem? In loco allegato statim subjicitur *v. 17.* Quanquam non expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia conferret de cœlo, dans pluvias & tempora fructifera &c. Quibus beneficiis Deus gentes ad sui notitiam instigavit, ut se quærant & inveniant, *act. 17. v. 27.* nam γνωστὸν τῦ Θεῦ, quicquid scil. naturaliter de Deo cognosci potuit

 manu-

manifestum in illis fuit; Deus enim eis patefecit *Rom. 1. v. 19.* Debuissent itaq; gentes notitiâ illâ rectiùs uti & non abuti *Rom. 1. v. 22. 23.* & occasionem inde sumere ulteriùs inquirendi in veri Dei cultum. Imprimis cùm ad Ecclesiam illustri & conspicuô locô positam ipsis semper patuerit aditus *1. Reg. 8. v. 41.* Unde tempore Salomonis proselyti inventi sunt in terra Israel centum quinquaginta tria millia & sexcenti *2. Par. 2. v. 17.* conf. *Job. 12. v 20. act. 5. v. 28.*

14. Resp. ad 2. Psalmum illum exponere Judæorum prægentibus prærogativam. Ordinarium enim verbi ministerium per Prophetas aliosq; Dei homines, non inter gentes sed Judæos vigebat. Unde rectè dicit Psaltes לֹא עָשָׂה כֵן לְכָל גּוֹי non fecit sic, sive taliter omni nationi. Sed cave hinc inferas, Deum aliquorum non voluisse salutem, quibus hanc prærogativam non concessit. Falsissimum enim illud esse, proselytorum exempla comprobant. De quibus superiori Thesi actum fuit. Ergò à prærogativâ salutis, respectu, externi ministerii, inferre velle omnimodam salutis denegationem, est inconsequentia fædissima. Nulli enim Deus salutis media planè præcluſit, licet huic vel illi genti præcellentiam quandam concesserit.

14. Resp. ad 3. cur quibusdam datum sit nosse mysteria regni cœlorum, aliis autem non sit datum, textus satis indicat, adeò ut hîc ad μισανθρωπίαν Dei non sit confugiendum. Postquam enim Christus turbæ congregatæ parabolam proposuit seminatoris, humana curiositas illam more suô pro stultitiâ & offendiculo habuit. *1. Cor. 1. v. 18.* Hinc Christus, ut auditoribus suis veternum excuteret, ne concionem de re rusticâ contemnerent *v. 9.* clamat: qui habet aures ad audiendum audiat. Hanc adhortationem pleriq; contempserunt, Christum solum relinquentes *Marc. 4. v. 10.* Cùm itaq; solus esset, desertus à reliqua turba, interrogaverunt eum hi, qui circa illum erant, cum duodecim de parabolâ. Jam de quærentibus & discere cupientibus *vide v. 39. Luc. 8. v. 9.* dicit Christus, vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum. De aliis concionem hanc contemnentibus, & oculos suos spirituales, ne videant, occludentibus *v. 15.* dicitur: illis autem non est datum. Ex quibus manifestô.

testò constat, culpam non esse penes Deum, sed homines. Deus voluit voluntate antecedente, ut etiam illi oculis videant & corde intelligant, tandem convertantur & sanentur. Sed oculos illi claudunt & obturant aures, ne videant & audiant. conf. *Act 28. v. 27.* ex quibus quilibet animadvertit, Deum hîc immeritò incusari, cum omnis culpa penes homines resideat.

116. Resp. ad 4. In Scriptura Sacra non unam esse dationem, IV.
est enim 1. datio redemptionis, *Joh. 3. v. 16.* 2. Electionis. *Joh. 6. v. 37.* 3. Apostolatûs *Joh. 17. v. 12.* De priori & ultima non semper valet: quicquid Christo datum est, ad illum venit. Nam multi, pro quibus Christus mortuus, damnari possunt & sic ad Christum non veniunt finaliter *Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. Heb 6. v. 6. 2. Pet. 2. v. 1.* & Judas proditor licet Christo datus ad inserviendum scilicet tamen periit *Joh. 17. v. 17.* In allegato ergò loco agitur de datione ad eligendum; ubi omnes illi, qui Christo hôc modô dati sunt, salvantur & ita ad Christum veniunt, sed consequentia vacillat: Ergò non omnium Deus vult salutem, vide *Ib. 9. 11.*

17. Resp. ad 5. in hoc loco redditur ratio, cur impii Judæi non V.
credant, quia non sint ex ovibus vocem Christi audientibus, illumq; sequentibus: vide *v. 27.* Causa verò, cur non sint ex illis ovibus, non est quærenda in Deo, sed ipsis hominibus. Sensus itaq; est, vos non creditis; quia media credendi negligitis. Media autem illa sunt, esse ovem obsequentem, sermonem ex quo fides *Rom. 10. v. 17.* quiq; salvas reddere potest animas nostras *Jac. 1. v. 21.* in corde honesto & bono retinentem, & fructum ἐν ὑπομονῇ in patientiâ ferentem *Luc. 8. v. 15.* falsissimum itaq; est, quod dicit *Piscator in Observat. ad v. 26. 27.* pios ministros verbi Dei, quum perturbantur paucitate credentium, consolari se debere consideratione arcanæ voluntatis Dei. Falsissimum inquam est, paucitas enim credentium non dependet ab arcanâ aliquâ Dei voluntate; in negotio enim salutis nostræ, non agnoscimus arcanam voluntatem, omne enim consilium de salute nostrâ nobis revelatum *Act. 20. v. 27.* & omnia ad salutem necessaria Christus discipulis suis nota fecit *Joh. 15. v. 15.* non eô fine, ut sibi retinerent, sed quæ privatim au-

versant, publicè aliis annuntiare debebant, *Matth. 10. v. 27. c. 28. v. 20.* Paucitas itaq; credentium à propriâ hominum, media vel negligentium vel non rectè adhibentium, dependet malitiâ *Act. 13. v. 46.* Unde ipse *Gualth. in Matth. p. 121.* de proditore Juda dicit: Nota insignem Christi bonitatem, proditorem in mensa fert, & illius salutem studiosè expetit,

18. Tandem ad 6. locum *Rom. 8. v. 30.* Resp evolvendo ambiguitatem, quæ est in voce vocationis. *Vocatio* enim in Sacris literis consideratur dupliciter, *primo* in sensu disjuncto, quatenus à parte Dei homines ad suam gratiam invitantis spectatur, & sic multæ hominum myriades vocantur, quæ non sunt prædestinatæ, vide *Luc. 14. v. 16. 24.* quia homines, vocati licet, tamen venire recusant *Matth. 22. v. 3.* & hôc sensu falsum est, omnes vocatos esse prædestinatos. *Secundò* vocatio sumitur in sensu conjuncto, quatenus simul hominum obedientia attenditur, & non tantùm Deus vocans, sed & homines vocati, vocationem recipientes considerantur. Hôc sensu strictô omnes vocati sunt prædestinati, unde Paulus *1. Cor. 1. v. 26.* ait: videtis vocationem vestram fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, verùm quæ stulta sunt ἐξελέξατο ὁ θεὸς eligit Deus *vers. 27.* hâc consideratione vocati promissionem accipiunt æternæ hæreditatis *Heb. 9. v. 15.* & illi vocati dicuntur cum agno esse *Apoc. 17. v. 14.* quæ est vitæ æternæ periphrasis *Luc. 23. v. 43.* Unde appellantur beati *Apoc. 19. v. 9.* præmissa hâc vocationis distinctione, consideremus vim argumenti. Quæritur inter nos & Calvinianos: anne Deus velit omnium hominum salutem? Illud ab illorum parte negatur, quia quædam a parte hominum est particularis vocatio. Sed quomodo hæc cohærent: Deus vocat Judæorum & Gentium multitudinem *Luc. 14. v. 16.* id est totum mundum, quando enim Judæi & Gentes conjunguntur in scripturâ & de utrisq; aliquid commune affirmatur, totum genus humanum intelligitur. Unde Paulus quando Judæos & Græcos peccato esse obnoxios affirmat, omnes intelligit homines *Rom. 3. v. 9* quod ex *v. 19.* patet, ubi totum mundum peccato esse obnoxium affirmat, verùm maxima hominum vocatorum pars divinum illud beneficium

cium contemnit. Hinc illorum hominum culpâ sit, ut non salventur. Ergò Deus efficaciter non vult omnium salutem. Imò vult illorum salutem, sed suâ culpâ illâ excidunt, teste totâ scripturâ sacrâ. Consequens nunc esset, reliqua loca, quibus Adversarij nostri abutuntur, indicare eaq; refutare. sed quia quædam interveniunt brevitatem suadentia, residuum argumentorum futuræ disputationi reservabimus, daturi operam, ut quæ rationes contra sanam doctrinam & veram εὐδοξίαν ab adversâ parte afferuntur, illa condidè additis auctoribus (ne moderni politici injuriam suis fieri conquerantur) proferantur. Hic ergò in nomine Ter sancti Jehovæ hâc vice finis esto.

CUM DEO.

I.

VLtima habita disputatio, recensens quædam adversariorum nostrorum argumenta, cum præter opinionem propter morbum divinitus immissum, abrumpenda fuerit, reliqua argumenta huic reservabimus disquisitioni. Pergit itaq; *Piscator* in allegatâ disputatione, *vol. 2. p. 179.* hunc in modum argumentari. Qui non omnes, sed aliquos tantum justificat, seu peccata eis remittit, Ille non omnium vult salutem. Atqui Deus non omnes sed aliquos tantum justificat, seu peccata eis remittit. Ergò non omnium vult salutem. Respondeo, majorem continere rerum distinctarum confusionem. Confunditur enim articulus divinæ propensionis ad salvandum, quem universalem nec ad paucos tantum restrictum, hactenus ex Scripturâ probavimus: cum articulo justificationis, seu peccatorum remissionis. Qui articulus quidem particularis est, non verò Universalis. Causa verò particularitatis, non in Deo, justificationem seu peccatorum remissionem invidente quærenda, sed unicè in ipsis hominibus medijs salutis non rectè utentibus, investiganda est. Rex regum invitat homines ad spirituales nuptias, sed invitatorum pleriq; nolunt venire *Matth.* 22. v. 3. Christus incolas Jerusalem instar gallinæ pullos subalas congregantis convocare voluit, sed noluerunt venire *Matth.* 23 *v.* 37. Dei consilium fuit, baptizari Pharisæos à Johanne, sed illi hoc Dei consilium spreverunt *Luc. 7. v. 30.* Christus missione Apostolorum Judæos ad vitæ æternæ participationem invitavit. Judæi verò contradixerunt, seq; hoc pacto vitâ æternâ indignos reddiderunt *Act. 13. v. 44. 45. 46.*

2. Unde constat hanc consequentiam vacillare: Non omnes sed aliquos tantum Deus justificat. Ergò illius voluntas non est, ut omnes justificentur, & æternùm beentur. Sic Pater seriò vult omnes suos filios esse frugi. Multi tamen illorum sunt filij Belial, ut

de

de Ophni & Phinees Scriptura loquitur. 1. Sam. 2. v. 12. sequiturne, Non omnes filij, sunt morigeri. Ergò Pater non vult esse tales. Ita Pater cœlestis omnes homines vult esse obedientes, eisq; gratiam suam offert. Sed pleriq; illorum, repudiarâ Dei gratiâ, ut loquitur Marloratus in Cap. 23. Matt. recalcitrant. Hinc licet Deus eos justificare velit; actu tamen non justificantur; quia in ipsâ justificatione, non tantum divina ad salvandum inclinatio, seu propensio attenditur. Sed & simul fides, salutem à Christo promeritam apprehendens, spectatur. Quia verò homines gignendæ fidei media, vel planè negligunt, vel iisdem non rectè, verbum Dei cum studio discendi non audientes, utuntur, hinc non justificantur.

3. Loca ergò à Piscatore allegata ex Act. 10. v. 43. c. 13. v. 38. 39. nihil aliud probant: quam credentes in Christum remissionem peccatorum habere per nomen ejus. Item: annuntiari credentibus remissionem peccatorum, à quibus per legem Mosis justificari non potuerunt. Illud verissimum esse ultrò largimur. Sed cadaver illud consequentiæ, inde deductum negamus. Non enim sequitur: Soli credentes in Christum justificantur. Itaq; Deus illorum tantum actu justificatorum vult salutem. Illud enim falsissimum esse, partim ex jam dictis, partim verò præcedentibus disputationibus constat.

4. Ejusdem farinæ argumentum est, quando Piscator ita colligit. Deus non omnes, sed aliquos tantum glorificat. Ergò non vult ut singuli, sed aliqui tantum homines salvi fiant; procedit enim allatio, nixa præcedentis argumenti robore, sed sicuti actualis justificationis particularitas, à parte Dei salutem omnibus conferre seriò conantis, particularitatem τοῦ velle salvandi minimè infert. Ita glorificationis particularitas, propensionis divinæ ad salvandum particularitatem, nulla ratione probat. Quia vult Deus omnium salutem & glorificationem, licet vitio & culpâ hominum non omnes salventur & glorificentur. Quamvis ergò, ut Bucanus loquitur Loc. 36. Quæst. 28. Universalis experientia solos fideles homines servari testetur, inde tamen Deum illos tantùm velle servari, malâ consequentiâ deducitur.

5. Sed regerit loco allegato Bucanus. Omnia quæ vult Deus, eadem & facit Psal. 115. v. 3. Atqui non servat omnes homines, sed tantùm

tum suos fideles. Non vult igitur sine discrimine omnes homines salvos fieri. Respondeo fit confusio rerum illarum quæ Deus cum conditione, à nobis implenda vult, & ordinem quendam à Deo præscriptum, includunt: & quæ sine conditione nostrâ fieri cupit absolutè, nullo habito conditionis aut ordinis alicujus respectu. Quæ fiunt non requisita ulla à parte nostra conditione illa semper fiunt, & de illis verum est: quæcunq; voluit Deus facit. Sic voluit Deus, incarnari filium, vult quoq; venire extremum judicium, resurgere homines, nulla requisita in nobis conditione. Ergò incarnatio facta, extremum judicium certò veniet, & homines resurgent, licet nulli illorum credant. At quæ vult Deus certa conditione & ordine, illa non semper fiunt, non ob voluntatis divinæ inefficacitatem, sed conditionis in nobis requisitæ absentiam. Et hac consideratione multa Deus vult, quæ non fiunt vide *Th.* I. sic Deus vult omnium hominum salutem, sed cum hac conditione, ne scilicet salutis media negligant; per fidem enim custodimur ad salutem 1. *Pet.* 1. *v.* 5. fides autem ex auditu, auditus autem per verbum Dei *Rom.* 10. *v.* 17. confer *Kecker in Loc. p.* 111. Locus ergò allegatus *Psal.* 115. *v.* 3. agit de voluntate Dei absolutâ, in articulo creationis considerata, quod indicat oppositio Deorum gentilium & Dei nostri in cœlo habitantis. Indicat enim Psalmographus Deum nostrum esse omnipotentem, proinde posse illum omnia facere quæ vult. Simulacra verò gentium esse κόπος χειρῶν. Non verò loquitur de voluntate in articulo redemptionis; in illo enim multa, quæ Deus vult non fiunt. Sic voluit Deus Judæos Messiam recipere debuisse; quod tamen factum non est, *Joh.* 1. *v.* 11. conf. *Matth.* 21. *v.* 30 32.

4. 6. Pergit Bucanus dicendo: Universalis restringitur ad fideles. Resp. in illis locis quibus promissiones applicantur credentibus ut *Gal.* 3. *v.* 22. & passim, non est promissionum à parte Dei universalium restrictio, sive ad certa individua coarctatio; sed ordinis divini promissiones datas implentis ostensio. Significatur enim promissiones in articulo redemptionis datas, ordinem quendam divinitus præscriptum includere, nec esse absolutas conditionis omnis expertes. Nulla verò solida est consequentia. Promissiones in articulo redem-

demptionis hominibus applicandæ, ordinem quendam divinitus præscriptum habent. Ergò à parte Dei promissiones illæ sunt particulares conf. *Pareum in Epist. ad Rom. p. 498.* Quamvis enim particularis, vitio hominum sit applicatio; promissiones tamen in se consideratæ sunt Universales, quod vel ipse *Parens in Irenico*, *hisce* verbis agnoscit p. 142. promissiones inquit gratiæ sunt Universales, pertinentq; ad omnes, quoad prædicationem, invitationem, & mandatum credendi.

7. Piscator pro obtinendâ suâ sententiâ, ulterius ita colligit, Deus inquit, in uno creavit omnes, non uno fine: sed alios quidem præparavit, ad gloriam; alios verò coagmentavit ad interitum, quod probat ex *Rom. 9. v. 22. 23.* Respond. Deum non uno omnes creasse fine dicitur quidem; sed unde probatur? Locus allegatus non dicit Deum coagmentasse quosdam ad interitum, sed vasa iræ esse coagmentata ad interitum; id verò non de Deo, sed Diabolo seducente, & homine consentiente intelligendum esse testatur Scriptura *1. Cor. 11. v. 3.* & passim. Unde ex *Polan. Lib. 5. Syntag. cap. 32.* dicimus: ut nascantur homines est beneficium, ut autem pereant prævaricatoris est vitium. Deum ergò quenquam destinasse ad interitum, scriptura non solum non dicit, sed & contra dicit, proinde ita colligimus. Quicunque omnes in Adamo lapsos per Christum restaurat, ille omnes nullo excepto salvationis fine condidit. Atqui Deus omnes in Adamo lapsos, per Christum restaurat. Ergò omnes nullo excepto Salvationis fine condidit. Major indubitatæ veritatis est. Quorsum enim spectaret lapsorum in Adamo restauratio, si Deus non eo condidisset fine, ut tandem salvarentur. Minor ex *Luc. 10. v. 19. Rom. 9. v. 18. 19.* in propatulo est, ubi dicitur: Filium hominis venisse quæsitum & servatum id, quod perierat. Item: Sicuti per unius delictum propagatum est malum ad condemnationem: ita per unius justificationem propagatur bonum in omnes homines, ad justificationem vitæ. Quemadmodum enim per unius hominis inobedientiam peccatores constituti fuimus multi. Ita per obedientiâ Unius justi constituentur multi. Quam latè ergò patet Adami lapsus, tam latè sese extendit per Christum facta restauratio, vi allegatorum locorum.

Pareus equidem in Epist. ad Rom, hanc veritatem obnubilare attentat dicendo: quod ait justificationem vitæ redundasse in omnes homines, non intelligitur absolutè, quasi justificatio sit omnium, ut reatus est omnium absolutè, sed restrictè juxta limitationem v. 17. quod sit omnium, quotquot donum justitiæ fide accipiunt. Et subjungit: aliam esse universalitatem reatus & damnationis ex Adamo, aliam justificationis & vitæ in Christo. Respondeo, Confundit Pareus justificationem consideratam respectu acquisitionis, de qua agit Apostolus v. 19. & eandem respectu applicationis spectatam, quatenus scilicet fide apprehenditur sive accipitur v. 17. Justificatio priori modo considerata æquè est omnium, sicuti condemnatio & inobedientia est omnium, vi textus Apostolici, dicentis: Nos inobedientiâ primi Adami omnes peccatores esse constitutos: obedientiâ secundi Adami omnes justificatos esse, intellige de justificatione acquisitâ, quatenus Christus gratiam merito suo nobis acquisivit, quam deinceps ut nobis salutatis fiat, verâ fide accipimus v 17. Quamvis ergò justificatio respectu applicationis considerata, sit particularis, eandem tamen universalem, modo antea indicato, prævio Apostolo dicimus. Et hæc Apostolica veritas, nobis potior, quam nostra imaginatio, videmus autem ex loco allegato falsitatem verborum *Piscatorii vol.* 2. p. 180. dicentis: Deus non condiderat omnes hoc fine, ut eos illo reatu liberaret, & jus vitæ æternæ quod peccando amiserant, illis recuperaret.

9. *Keckerm. Lib 3. System Theologici p.* 212. Sententiæ nostræ ejusmodi opponit argumentum: Decretum Dei de omnium hominum salute, aut est ratum, aut irritum. Si ratum est, cur non omnes salvantur? Si irritum est, qui fecit irritum, non ipse Deus, quia hic non mutatur, nec mutat consilia sua; non creatura aliqua, quia qui mutat decreta alterius, est superior eo, qui decretum fecit. Respondeo ex ipso Keckermanno *cap. 7. de operationibus Dei p.* ut distinguendo inter volitionem Dei sive decretum absolutum, quo Deus absolutè aliquid concludit, sine conditione in nobis ponendâ. Et volitionem sive decretum conditionale, quo Deus aliquid vult, & concludit de nobis, non absolutè sed reservatâ certâ condi-

conditione, & subjungit Keckermannus exemplum de quo nobis sermo est. Sic inquit Deus vult omnes homines salvos fieri, & ad cognitionem veritatis venire; sed non vult absolutè, sed conditionaliter; scilicet si credant promissionibus Evangelij: idcirco etiam incitat omnes homines ad participationem salutis, non voluntate absolutâ, sed conditionali & hypothetica: & de hac voluntate etiam Christus loquitur *Luc. 13. v. 34.* ubi testatur se voluisse congregare Israelitas, ut gallina, congregat pullos suos voluit congregare voluntate conditionali Si enim absolutè voluisset, utiq; etiam Israëlitæ congregati fuissent. Hæc Keckerm allegato loco. Undè evidenter patet, quid illius argumento reponendum, scilicet decretum Dei de omnium salute ratum esse, pro ratione facti decreti. Quando verò effectus, actualis salvatio, in impijs non subsequitur, tum decretum Dei redditur irritum, non à parte Dei salutem sub conditione volentis, sed à parte hominum, conditionem à Deo requisitam non implentium. Posse verò homines hoc respectu decreta sive fœdera Dei irrita reddere testatur Scriptura vide *Deut. 31. v. 16. Jer. 31. v. 32. Ezech. 17. v. 18. 19.* neq; hinc sequitur irritantem fœdera aut decreta Dei, vel potius effectum divinorum decretorum, esse propter ea superiorem. Deus enim hic consideratur non secundum potentiam suam absolutam, sed ordinatam, juxta quam homines multa faciunt, Deo displicentia; neq; hinc tamen ulla superioritas infertur. Sed hoc tantum concluditur: posse homines impios, ordinem à Deo præscriptum turbare, suamq; ipsorum salutem impedire.

10. *Martyr in L. C. de prædestinatione p. 819.* ita concludit: Deum efficaciter non velle salutem omnium, demonstrant infantes plurimi qui pereunt extra Christum: multi etiam qui nascuntur stulti & surdi, & in vitâ suâ nunquam rectum justumq; rationis usum habuerunt. Et sæpè accidit, ut aliqui diu satis honestè ac fideliter vixerint; interea tamen ad extremum labantur, sublatiq; de mundo æternùm pereant: & è contrà alij, qui perpetuò in flagitijs vitam traduxerunt, ad extremum vitæ pœnitentiâ fide ac pœnitentiâ donati serventur: cum tamen illi priores potuerint de medio tolli, ne mali-

ita mutaret animum eorum. Quis dicat in his exemplis, Deum velle efficaciter perinde omnium salutem. Hæc Martyr. Et additur in Margine: variæ instantiæ contra adversarios. Unde sequentia formari possunt argumenta, quæ ordine considerabimus, & prævia scriptura diluemus.

n. 1. Quicunq; infantes pereunt extra Christum, illorum Deus non vult salutem. At multi infantes pereunt extra Christum, Ergò illorum Deus non vult salutem. Respondeo quid de salute infantum extra Ecclesiam viventium statuendum, hac vice non disputamus. Dicimus simpliciter Majorem esse falsam. Quamvis enim infantum plurimi extra Christum pereant, nulla tamun firma consequentia est, Deum illorum non voluisse salutem. Non enim ita colligendum: Hic vel ille infans non salvatur, itaq; illum salvari Deus non vult, non enim à negatione actualis salutis, neganda est divina ad salvandum propensio. Sic multi infantem in Ecclesiâ natorum, ex mente & sententiâ adversariorum damnantur; quia non omnes electi, & tamen verissima est Christi sententia *Matth. 18. v. 14.* non esse voluntatem coram patre cœlesti, ut unus pereat de pusillis istis. Quos tamen omnes electos esse & salvatos dici nequit. In specie infantes extra Ecclesiam natos quod attinet, quamvis hic paulinum illud *1. Cor. 5. v. 12.* Usurpare queamus: quid ad me attinet de his qui foris sunt judicare. Duas tamen Theologorum hypotheses hic considerandas dicimus. 1. Deum esse summè misericordem. 2. Omniscium. Quod si igitur quènquam infantum extra Ecclesiam natorum pœnitentiam acturum, adultiorem factum, Deus summè misericors vidisset, utiq; illum conservasset, & è tenebris, ut Abrahamum ex Ur Chaldæorum, evocasset. Quia verò in infantiâ moriuntur hinc Deum omniscium illorum cor impœnitens vidisse propter peccata damnasse rectè colligitur. Malè verò hinc, Deum nullâ ratione illorum salutem expetiisse, concluditur. Repetenda hic dicta Universalia disput. 1 & 2. pro sententiæ nostræ confirmatione adducta.

n. 2. Martyr ita infert: Quicunq; nascuntur stulti & surdi, illorum Deus non vult salutem. At multi nascuntur stulti & surdi, Ergò illorum non vult salutem. Respondeo Majorem rursum esse falsam, exem-

exemplis enim compertum est, illos qui totam vitam fatui & surdi fuerunt, ita circa vitæ exitum à Deo esse illustratos, ut certissima fidei salvificæ ediderint documenta. Dicimus ergò potius cum D. *Pelargo in cap. 9. Matth. p. 121.* Christum Dæmoniacum (mutum) salutis suæ non cupidum, tanquam medicum benignissimè curasse. Ubi non solum benignitatis admirandæ exemplum singulare, sed parangelma: ne amentes, surdos & similes negligamus, neve de illis planè spem abjiciamus omnem, cum calamitas illorum plus loquatur in auribus Dei, quam sæpenumero verba rectè valentium. Hæc Pelargus. Quis ergò damnaret stultum & amentem, cum prædicatio Evangelij juxta Apostolum *1. Cor. 2. v. 4. 5.* non sit sita in persuasoriis humanæ sapientiæ verbis, sed in ostensione Spiritus ac potentiæ, ut fides nostra non sit in sapientiâ hominum, sed in potentiâ Dei. Stulti quà intelligentiam pueris similes sunt *conf. 1. Cor. 14. vers. 20.* Quod ergò Spiritus S. operatur in infantibus, respectu exercitij rationis stultis, cur non idem faceret in stultis & fatuis? Surdi licet verbū Dei, ex quo ordinariè fides *Rom. 10. v. 17.* audire nequeant, Deus tamen extraordinariè, sicuti in Johanne Baptista *Luc. 1. v. 44.* fidem in illis operari potest, Quod multa surdorum exempla suam in Christum fiduciam voce & gestibus comprobantium abundè testantur.

13. 3. Martyr ita colligit. Quicunq; in vitâ suâ nunquam rectum, justumq; rationis usum habuerunt, illorum Deus non vult salutem. At multi in vitâ suâ nunquam rectum justumq; rationis usum habuerunt. Ergò. Resp. Majoris falsitatem, res ipsa arguit. Fides nostra est opus Dei *Joh. 6. v. 29.* donatum enim est nobis ut in Christum credamus *Phil. 1. v. 29.* & fides dicitur operatio Dei, id est quam Deus operatur *Col. 2. v. 12.* operatur verò fidem non in ijs, qui sunt sapientes & prudentes *Matth. 11. v. 25.* Si quis enim videtur sapiens esse, ille stultus fiat, ut reddatur sapiens, nam sapientia mundi stultitia est apud Deum *1. Cor. 3. v. 18. 19.* justis ergò rationis usus absentia tantum abest, ut fidem impediat, ut potius eandem promoveat. Sicuti in infantibus rationis exercitium plenum non habentibus & tamen credentibus, *Matth. 18. v. 6.* videre est. Captivanda enim est ratio ad obœdiendum Christo *2. Cor. 10. v. 1.*

14. 4. Si sæpe accidit ut aliqui diu satis honestè & fideliter vixerint interea tamen ad extremum labantur, sublatiq; de mundo æternùm pereant. Utiq; Deus illorum non vult salutem. At prius est. Ergo. Respondeo negatur connexio Majoris. Christus ipse causam damnationis hominum benè incipientium, sed in bono proposito non perseverantium, non ponit in salvandorum ex Dei intentione ortâ particularitate, sed partim in Diaboli malitiâ, partim in hominibus, credendi radicem non habentibus. Ita dicitur *Luc. 8. v. 12. 13.* Qui juxta viam, hi sunt qui audiunt, deinde venit Diabolus, & tollit sermonem de corde eorum ne credentes salventur. Et qui super petram ij sunt, qui cum audierint cum gaudio suscipiunt sermonem: & hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. *conf. 1. Tb. 3. v. 5.* In hac causâ acquiescimus, nec contra scripturam aliquid fingimus. Interim quando exempla benè incipientium & malè finientium occurrunt, circumspectè in Christianismo ambulandum dicimus *Eph 5. v. 15.* & ita currendum, ut tandem βραβεῖον Dei gratiâ comprehendamus *1. Cor. 9. v. 24.* cum metu ergò & tremore salutem operamur *Phil. 2. v. 12.* ut quod Dei gratiâ habemus teneamus, donec Christus veniat *Apoc. 2. v. 25.*

15. Ad Prosyllogismum Martyris quo dicit: potuisse Deum hos è mediò sustulisse, ne malitia mutaret animum eorum. Respondeo hanc exceptionem repugnare recepto Adversariorum principio, quo statuunt semel renatos & sanctos gratiâ Dei excidere non posse. Unde *Wendelinus* sententiam suam suramq; exponens *ait cap. 28. p. 168.* Fide justificante præditi, & proinde vere justificati & sanctificati, justitiam & sanctitatem suam nunquam ita deserunt, ut ex fidelibus prorsus infideles, ex justificatis non justificati, ex sanctificatis non sanctificati fiant, sive totaliter, sive finaliter. Addimus etiam ex vi decreti & auxilij divini præsentissimi, pericula omnia avertentis, & voluntates efficacissimè regentis, hoc modo eosdem nec posse fidem & justitiam deserere. Hactenus Wendelinus. Proinde si quidem ad tempus honestè & fideliter vixissent, vi hujus assertionis ad extremum labi non potuissent.

16. Tan-

16. Tandem §. Martyr ita concludit. Qui perpetuò in flagitijs vitam traduxerunt, & ad extremum vitæ repentinâ fide ac pœnitentiâ donantur: Ergò Deus illorum, & non omnium vult salutem. Resp. plus esse in conclusione quam fuit in præmissis, Objectio Martyris nihil aliud dicit, quam Deum ita esse misericordem ut nec illi salutem omnibus destinatam, à maximâ tamen hominum parte rejectam, non invideat, qui paulò ante mortem salutis mediis rectè utuntur. Commendatur itaq; divina bonitas in salvandis etiam ijs qui tandem sub vitæ finem ad se redeunt, & fidei ut loquitur scriptura *Actor. 6. v. 7.* obediunt, licet antea Deo vocanti ad tempus recalcitrarint. Conf. *Matth. 21. v. 29.* Distinctissima verò sunt illa: Deus salvat homines paulò ante mortem sese convertentes. Et Deus quosdam præterit, quorum salutem nullo modo, aut ratione promotam cupit.

17. In Judicijs Theologorum provincialium ad acta synodi Nationalis Dordrectanæ p. 87. sequentia urgentur scripturæ testimonia sententiæ orthodoxæ ex scripturâ hactenus probatæ oppositæ 1. ex *Matth. 11. v. 25. 26.* Unde colligunt abscondionem mysterium soli Dei beneplacito tribuendam. Unde concludunt Deum ex suo beneplacito ad justitiæ suæ declarationem decrevisse quosdam homines in lapsu & miseriâ relinquere. Resp. per sapientes & intelligentes Beza in Notis intelligit *Scribas & Pharisæos* Piscator sapientes secundum carnem. Præterijt ne Deus scribas & Pharisæos, salutem illis invidendo, ac salutis media non concedendo? Negat id Christus, generaliter de incolis Jerusalem *Matth 27 v. 37.* & in specie de Pharisæis ac legis peritis ait *Luc. 7 v. 30.* illos consilium Dei spreviisse adversus semet ipsos, non baptizati à Johanne. Quibuscunq; ergò ex Dei consilio baptismus pœnitentiæ in remissionem peccatorum erat conferendus, illos Deus in miseriâ relinquere non decrevit. At prius est, vi allegati loci. Ergò & posterios. Textus itaq; in Matthæo non loquitur de beneplacito aliquo absoluto, quo Deus decreverit quosdam homines in lapsu & miseriâ relinquere, eosq; præterire, sed ordinato: abscondit scilicet Deus Evangelium sapientibus, qui freti suâ sapientiâ carnali, veram sapientiam DEI Christum

sum videlicet *Luc.* 11. *v.* 49. verbo oblatum repudiant. 1. *Cor.* 1. *v.* 18. Quia ergò se à Diabolo occœcari patiuntur 2. *Cor.* 4. *v.* 4. & verbum prædicatum repellunt, seq; vitâ æternâ indignos reddunt. *Act.* 13. *v.* 46. tanquam justus Judex voluntate consequente ingravis illis hominibus verbum oblatum respuentibus abscondit. conf. *Luc.* 14. *v.* 24. Hinc verò nulla ex solo Dei beneplacito profluens divina præteritio infertur, sed tantum divina justitia, hominum ingratitudinem puniens, commendatur.

48. a. Allegatur locus ex *Joh.* 12. *v.* 38. Domine quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui retectum est, *v.* 39. propterea non poterant credere quia iterum dixit Esaias, &c. Resp. conqueritur Spiritus S. per Johannem de summâ Judæorum ingratitudine & excæcatione, quæ tanta fuit, ut licet Christus multa signa, quibus ad credendum permoveri debebant, edidisset; tamen tanta Judæorum fuit πώρωσις & excæcatio, ut susq; deq; habitis illis Messiæ miraculis, non crediderint. Ideo quia maxima Judæorum pars incredula permansit, hinc propheta, ait; Domine quis credit auditui nostro, & brachium Domini cui retectum? Ubi interrogatio credentium raritatem notat ut alias conf. *Proverb.* 31. *v.* 29. *Luc.* 18. *v.* 8. Quæ vero consequentia: Messias à paucis Judæorum fuit agnitus, ergò Deus illorum tantum vult salutem à quibus agnitus. Quod attinet particulam Quia *v.* 39. illa non est causalis hoc loco, sed infallibilitatis nota, ut sensus sit: quia Esaias Judæorum stupendam cæcitatem prædixit, illa tandem suo tempore subsecuta, incredulitatis causa fuit. Unde *Aug. in. tract.* 53. *in Joh.* ait: Deum præscium futurorum per Prophetam prædixisse infidelitatem Judæorum, non fecisse, non enim propterea quenquam Deus ad peccandum cogit, qui futura hominum peccata jam novit.

49. 3. Ita colligunt. Si causa electionis est sola Dei voluntas & εὐδοκία non autem aliquid in homine prævisum, sequitur ex naturâ contrariorum, desertionis in lapsu & miseriâ, similiter esse eandem Dei voluntatem & beneplacitum. At prius. Ergò Respon. distinguendo inter solam Dei voluntatem, & absolutam Voluntate Dei quidem solâ justificamur & salvamur, sed hæc est voluntas ejus qui mist

misit me ut omnis qui videt filium, & credit in eum habeat vitam æternam. *Johan. 6. v. 40.* Nos verò eligi voluntate, Dei absolutâ, nullo habito in homine respectu est κατηγούμενον ipsi scripturæ contrarium, facta enim est electio κατὰ πρόγνωσιν *Rom. 8. v. 29. cap. 11. v. 2. 1. Petr. 1. v. 2.* Utiq; ergò Deus aliquid in nobis respicit non tanquam meritum, sed ut medium salutem à Christo acquisitam apprehendens.

20. Sed regeritur allegato loco: Si esset in hominibus desertionis causa, ea non posset esse alia quam peccatum & infidelitas, Et hanc ob causam essent omnes homines deserendi; omnes enim sunt naturâ infideles & peccatores. Et eadem causa in eodem subjecto eundem semper effectum producit. Resp. confunditur infidelitas naturalis seu originalis & innata, quæ omnibus hominibus æque competit, cum infidelitate acquisitâ & aggravatâ cum hostili repugnantiâ conjuncta de quâ dicitur. *Actor. 7. v. 51.* vos semper resistitis Spiritu S. conf. *Nehem. 9. v. 6. Jerem. 5. v. 3.* & passim. Quamvis Deus ob incredulitatem naturalem omnes homines justè damnare queat; tamen qui mediis divinitus datis rectè utitur & naturalem corruptionem, actuali non cumulat, ille à Deo convertitur, & peccata justitiâ Christi teguntur. Cum super reliquos ob aggravatam incredulitatem ira Dei maneat *Johan. 3. v. 36.* Atqui hæc sunt plenaq; contradicentium argumenta, universali Dei amori oppositæ, quibus rectè dilutis, reliqua minutiora sua sponte corruunt, Hanc ergò disputationem hic finimus. Et meriti Christi universalitatem subsequenti οὐν θεῷ reservamus disquisitioni.

CUM DEO.

I.

HActenus primum electionis nostræ fundamentum, universalem scilicet Dei, nullum posterorum Adami excludentem φιλανθρωπίαν, amorem & benevolentiam exposuimus, & contra Adversariorum negationem & προσφύγημα, ex scripturâ tuiti sumus. Nunc ordinis ratio postulat, secundo electionis nostræ fundamento manum admovere. Quod antequam faciamus adversariorum nostrorum latebræ prius sunt detegendæ. Quomodo enim sese in varios torqueant gyros, & modò orthodoxorum linguâ utantur, modò sententiam suam scripturis adversantem proponant, ex ipsis adversarijs videmus.

2. Parew in Irenico cap. 24. Art. 5. ait: quod Christus pro solis electis satis fecerit λογομαχία est, vel falsa accusatio. Omnium peccata Christus portavit, dissolvit, expiavit: si magnitudinem precij seu λύτρου sufficientiam spectemus. Non omninm, sed tantum fidelium: si λύτρου efficaciam, fructum & applicationem consideramus. Et cap. 28. Art. 1. distinctionem inter meriti Christi sufficientiam & efficatiam ex patribus, & ipso Chemnitio repetit.

3. Sed ipse Piscator, qui plerumq; Scapham Scapham nominat, nec circuitione aliquâ in religione suâ proponendâ utitur, hanc à Pareo adhibitam distinctionem, dextro adhibito sensu orthodoxam, non admittit. Ita enim loquitur in 1. Tim. 2. cap. observ. 10. vulgo usurpari illud Scholasticorum: Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi (id est singulorum hominum) sufficienter, sed non efficienter. Hæc distinctio, dicit piscator speciem habet eruditionis, sed revera (arrige aures paree) inepta est, quia implicat contradictionem. Idem dicit in Apologia. p. 108. ubi affirmat distinctionem illam inter sufficienter & efficienter seu efficaciter con-

consistere non posse. Nec piscator solum, sed & ipse *Beza parte 2. Resp. ad Acta colloq. Mompelg. p. 217.* ita loquitur. Distinctio autem ista, quam iste (D. Andreæ indigitat illa distinctione *in coll. Momp. p. 546.* utentem) tandem protulit, inter sufficienter & efficienter, mera est tergiversatio, nec adversarium meum in isto commento sublevat.

4. Quibus jam fides adhibenda? num Pareo Christum pro omnibus sufficienter mortuum dicenti; an vero Bezæ, Piscatori & alijs, idem negantibus. Nos certè ob Adversariorum nostrorum & ipsius pareī argumenta, *p. 243.* prolata, magis assipulamur Bezæ & piscatori sententiam suorum candidè exponentibus. Proinde hanc Adversariorum nostrorū esse sententiā, Christum pro omnibus sufficienter non esse mortuum, sequentia illorū testimonia luculenter testantur. *Zanch. locum 1. Joh. 2. v. 2.* expositurus Christum scilicet esse ἱλασμὸν pro peccatis totius mundi, id est electorum omnium mundi, dicit. Wendelinus in suâ Theologiâ *lib. 1. cap. 17. p. 283.* sententiam suorum exponens ait: Sententia nostra est: Christum non pro omnibus & singulis hominibus, sed pro solis electis, qui olim crediderunt, tum credebant, vel deinceps per gratiam ejus credituri erant, mortuum esse & divinæ satisfeciſſe justitiæ. In *colloq. Mompel. p. 547.* cum Beza dixisset Christum non fuisse mortuum pro peccatis damnatorum. Et D. Jacob Andreæ respondisset. Hæc in auribus piorum sunt horrenda auditu. Beza cum suis in alterâ mensâ sedentibus risisse scribitur. *Piscat. vol. 2. p. 188.* Christum pro singulis mortuum fuisse negat. Et quod magis est, Beza Resp 2. ad Acta *Coloq. p. 221.* sententiam nostrum vocat falsam, blasphemam, & impiam.

5. Hæc ergò communis Calvinianorum est sententia: Christum non pro singulis generum, sed pro singulorum genetibus, id est solis electis esse mortuum. Falsissimam autem, ac scripturis sacris adversantem hanc esse sententiam, hisce immotis probamus ex scripturâ petitis argumentis. Quorum 1. desumimus, ex *Matt. 18. v 11.* qui locus hoc habet fundamentum. Qui est servator pereuntium, ille non est servator solorum electorum. At Christus est servator

pereuntium. Ergo non est servator solorum electorum. Major est indubitatæ veritatis, & operosâ probatione non indiget. Cum enim constet, solos electos in Adamo non periisse, sed totum genus humanum, non exclusis reprobis. Unde invictum manet argumentum. Qui in Adamo perierunt, illos servatum venit Christus. At omnes omnino homines in Adamo perierunt. Ergo illos servatum venit Christus. Quod si dixeris cum Piscatore esse synecdochen Integri, principium petes. Nos igitur, ob commentum humanum hunc non patiemur nobis è manibus eripi locum. Quæ Polanus habet contra hunc locum futurâ disputatione, quâ argumenta adversariorum discutiemus, volente Deo, considerabimus.

6. 2. *Ext. Joh. 2. v. 2.* colligimus. Qui est propitiatio non tantum pro peccatis credentium, sed & totius mundi, ille universalis omnium hominum est redemptor, propter credentium & mundi oppositionem, omnes omnino homines suo ambitu complectentem vide *Joh. 3. v. 18. Marc. 16. v. 16.* quando enim credentes & increduli opponuntur, totus mundus intelligitur. Vi allegatorum locorum, At prius verum est de Christo, vi citati loci classici. Ergo posterius negari nequit. Excipiunt communitur hic nobis contradicentes, nomine mundi non intelligi omnes & singulos homines, sed solos electos per universum mundum dispersos. Id probat Wendelinus *lib. 1. cap. 17.* Christianæ Theologiæ ex *2. Cor. 5. v. 19.* ubi ait solos electos reconciliari Deo, solis electis non imputari peccata. Et eodem significatu accipi quoq; vocem mundi *Rom. 4. v. 13.* ubi Abraham dicatur hæres mundi, qui antea dictus sit pater omnium credentium. Polanus quoq; hanc sententiam propugnat *lib. 6. Syntag. cap. 18. p. 183.* ex ipsius Apostoli proposito. Respondeo. Vocem mundi in scriptura nullibi notare solos electos probatum est *disp. 1. de Prædest. Th. 37. & seqq.* In specie quod attinet allegata duo loca. In primo aditur de reconciliatione à parte Dei acquisitâ, quo respectu falsum est, solos electos Deo reconciliari vide *Rom. 5. v. 18. 19. 1. Tim. 2. v. 6. Col. 1. v. 20.* Unde rectissimè in hunc locum dicit Gualterus: Deum homines qui peccatores & filij iræ erant sibi reconciliavisse. Jam vero soli electi non erant peccatores & filij iræ,

ut notum. Quem autem intelligat mundum Deo reconciliatum ex v. 10. quoq; videre est, ubi Apostolus ait: omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Jam verò non soli electi, sed & reprobi coram tribunali Christi sistentur. Rom. 14. v. 11. Quod phrasin spectat; peccata non imputatur, illa hoc loco non sumitur de reconciliationis applicatione præcisè, sed acquisitione. Quod ipse salvinus in hunc locum non diffitetur, dum ita ait: Duo sunt capita; alterum de reconciliatione hominum cum Deo, (hanc nos vocamus reconciliationem acquisitam.) alterum quomodo fruamur hujus reconciliatioois beneficio (quod nos reconciliationis applicationem appellamus.) Textum autem loqui de acquisitione reconciliationis divinæ Apostolus indicat, quando ait: Deus reconciliat sibi mundum, & posuit in nobis sermonem reconciliationis. Ergò quam reconciliationem Apostoli omnibus suis auditoribus impijs non exclusis debebant proponere, & ad istam invitare, illa hoc loco intelligitur. At reconciliationem acquisitam Apostoli auditoribus suis debebant proponere, & ad illam invitare, ut notissimum est vide. Act. 13. v. 41. 45. 46. c. 18. v. 6. & passim. Illa ergò intelligitur. Quod attinet locum Rom. 4. v. 13. à Wendelino adductum, responsum est disput. 1. Th. 42. quo lectorem remittimus.

3. Ex Joh. 1. v. 9. pro sententiæ orthodoxæ confirmatione hoc pacto colligimus, Quos Christus sufficienter ac seriò voluntate illuminat, pro illis quoq; sanguinem suum fudit. Atqui omnem hominem in mundum venientem, id est natum conf. phrasin Joh. 18. v. 37. illuminat. Ergò quoq; pro illis sanguinem fudit. Excipiunt communiter hic à nobis dissentientes, Christum loqui de luce naturali ad ratiocinandum, ita Beza in h. l. & Piscat. ait: Christus illuminat scilicet luce rationis seu intelligentiæ Quo minus enim id intelligi queat de luce fidei, dicit Piscator loco allegato, obstare verba mox sequentia; venientem ἐρχόμενον nempe per nativitatem ex utero matris. Respondeo Piscatorem cædere propria vineta, ex hoc enim loco doctrinam deducit; Evangelium scilicet esse testimonium de luce illâ verâ, id est filio Dei manifestato in carne; quod nimirum ipse sit Christus, qui oblatione sui ipsius 3.

expiare debuerit, & expiarit peccata omnium. Quicunq; ergò locus agit de luce filij Dei in carne manifestati. Ille agit de luce fidei, non rationis aut intelligentiæ naturalis. Atqui prius verum est, secundum Piscatorem. Ergò

8. Deinde. ubi agitur de beneficio Christi incarnati ibi non agitur de communi naturæ luce. Atqui in allegato loco agitur de beneficio Christi incarnati Ergo. Major constat ab incarnationis Christi fine, quæ est, ut homines in tenebris spiritualibus viventes, spiritualiter illuminentur *Act. 26. v. 18.* hinc conversi dicuntur vidisse lucem magnam *Matth. 4. v. 16.* Christus enim est lumen mundi, quod qui sequitur non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ *Joh. 8. v. 12.* Hinc tertium resultat argumentum. Qualis Christus lux est, talis ejusdem est illuminatio. At spiritualis lux est. Ergo spiritualiter illuminat vide *Joh. 9. v. 5. c. 12. v. 46.* Quartò. Quæcunq; illuminatio nostræ naturali opponitur cæcitati, illa est spiritualis. At Christi illuminatio nostræ naturali opponitur cæcitati vide *Joh. 1. v. 5.* ubi dicitur lux in tenebris lucet, & tenebræ; homines scilicet peccatis depravati *Eph. 5. v 8.* lucem illam spiritualem non comprehenderunt conf. *Luc. 1. v. 79. Eph. 4. v. 18. Rom. 2. v. 19.* Ergo.

9. Ex hisce satis constat, textum nullâ ratione literaliter de communi naturæ luce, ut Marloratus ait, *in h. l.* vel ut polan. loquitur *lib. 6. syntag. cap. 18. p. 180.* illuminatione naturali agere, cum illa non sit incarnati Christi beneficium, neq; nostræ spirituali opponatur cæcitati. Quod igitur attinet argumentum Piscatoris ita colligentis: Illuminatio apud Johannem non potest intelligi de luce fidei, sed rationis seu intelligentiæ tantum, quia mox sequitur, Christum illuminare omnem hominem, venientem per nativitatem ex utero matris. Respondeo, non dici in textu: Christum per & propter nativitatem ex utero matris illuminare; sed tantum: Christum spirituale lumen illustrare omnes homines in mundum natos. Sicuti ergò non sequitur: Christus luce fidei illuminat renatos & electos, in mundum venientes, id est natos. Ergò nativitas est causa hujus lucis Dicitur enim solum, quinam per Christum illuminentur;

nentur; nimirum homines in mundum nati. Non autem additur, nativitatem luminis hujus esse causam.

10. Polanus loco ante allegato excipit, nostram interpretationem esse falsam, Samosatenianis faventem. Dicit enim Samosatenianos ita locum interpretari, ut istam illuminationem colligant esse hominum, tenebris ignorantiæ liberatorum, per Evangelij prædicationem, ne cogantur fateri, Christum verum ab æterno Deum, patrique, ὁμοούσιον esse. Respondeo. Nihil nobis nec cum aperus, neq; occultis Samosatenianis negotij; quippe qui corde credimus & ore profitemur, Christum esse Deum benedictum in secula *Rom. 9. v. 5.* non tantum nuncupativum, sed & verum *1. Joh. 5. v. 20.* cui unà cum patre æqualis honor debeatur *Joh. 5. v. 23. Apoc. 5. v. 13. 6. 7. v. 10.* cum sit Dominus ac Deus noster *Joh. 20. v. 28.* patriq; ὁμοούσιος *Joh. 10. v. 30.* Licet ergò Samosatenus ita collegerit: Christus prædicatione Evangelij homines à tenebris ignorantiæ liberavit. Ergò non est patri ὁμοούσιος. Nos illam sequelam negantes, ita potius inferimus. Christus voce Evangelij tanquam Dominus, homines collustravit. Ergo est patri ὁμοούσιος; nisi enim verus esset Deus, nos redimere non potuisset. Subordinata ergò, Samosatenus, aut alius Samosatenizans malè confundit.

11. Pergit polanus excipere hoc modo: Johannes tractat hic de beneficio lucis rationis, quam Christus tanquam creator, inde à principio mundi cuiq; homini in hunc mundum venienti indidit atq; etiam numindit: de gratiâ verò supernaturalis illuminationis insequentibus agit. Respondeo Petitio à polano principium constat ex argumentis *Thes. 7. & 8.* productis. In specie quoq; falsum est *v. 9.* introduci Christum ut creatorem. Id enim fit *v. 3.* & ex parte, *v. 10.* Introduci ut ergò Christus ut lux illa vera, de qua Johannes testatus est, ut omnes in illum crederent *v. 7.* & de quo dixit *v. 29.* ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi. Et Christus de seipso sit *Joh. 8. v. 12.* Ego sum lumen mundi, qui sequitur me non ambulat in tenebris, sed habebit lumen vitæ.

12. Hanc veritatem nobiscum contra proprios religionis socios

sorios agnoscit Gualterus, in locum Johannis ita scribens: sensus est: ego non de luce vulgari loquor, qualis in hominibus cernitur, qui divinitus illuminati alijs prælucent. Sed de verâ, quæ omnis luminis origo est, Dei filio, qui homo factus, salutiferâ cognitione omnes illuminat & exhilarat, qui ipsum recipiunt. Hoc de Johanne dici non potest. Ergò non est illa lux, nec in illo hærendum est. Et addit: Quod omnes illuminare dicitur, partim de ejus virtute, partim de liberalitate debet intelligi. Quod non omnes illuminantur, illorum culpa est. Hactenus Gualterus. Ejusdem sententiæ est Melanch, cujus auctoritas apud adversarios est magna, ita enim ille loquitur in *cap. 1. Joh. 9.* lucem voco, quia filius Dei per Evangelium, quod ex sinu patris attulit, dat spiritum sanctum & in nobis lucem, hoc est, notitiam Dei, justitiam & vitam æternam efficit, hoc voco illuminare. Hæc Melanch.

13. 4. *Ex Joh. 12. v. 48.* tale formamus argumentum. Qui condemnabuntur in extremo die, propter Christum rejectum, illis utiq; datus est. Atqui impij condemnabuntur propter Christum rejectum. Ergo utiq; illis datus est. Major ex naturâ rejectionis & dationis constat. Nemo aliquid dicitur reijcere, quod ipsi nunquam datum. Quod si ergò verum esset Bezæ affatum in *Resp. ad acta. partiu. alter. colloq. p. 221.* Christum sive quod ad Dei consilium attinet, sive quod ad effectum, non pro damnandorum & æterno judicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum & mortuum esse, Quomodò itaq; damnandi Christum redemptorem reijcere dicuntur, qui ex sententiâ adversariorum illis nunquam datus est.

14. Polanus vim hujus argumenti persentiscens, vocat illud sophisma intricatum & malè consarcinatum & ἀσυλλόγιστον. Illud probat; quia articulus de morte Christi non sit unicus, vel saltem primus fidei salvificæ articulus. Et subjungit plures esse fidei articulos. Respondeo non hîc esse quæstionem quot sint fidei articuli, sed id unicè quæritur: an impij damnentur ob neglectum Christum, sive quod beneficia morte Christi acquisita negligant. Illud verissimum esse locus *Joh. 3. v. 19.* probat. Ubi hæc universalis, condemnationis omnium hominum ponitur causa. Quod lux sive

Christus

Christus in mundum venerit. Homines verò plus tenebras quàm lucem dilexisse. *vide 2. Thes. 1. v. 8.* Qui ergo ideo damnantur quod non dilexerunt, sive verâ fide apprehenderint Messiam. Illi debuerunt diligere, & verâ fide apprehendere Messiam. At prius est. Ergo *conf. Joh. 16. v. 9.* Rursum qui debuerunt diligere Messiam & in illum credere, pro illis Christus sive Messias est mortuus. Atqui damnati debuerunt diligere Messiam, & in illum credere. Ergo pro illis est mortuus.

15. Si enim Christus pro illis non esset mortuus, nec quoque Evangelium in hac vitâ impijs proponendum. Quod enim ex divinâ intentione ad impios & damnandos non pertinet. Id quoq; illis annuntiari non debet. Atqui Christus ad impios & damnandos, ex hypothesi adversariorum, non pertinet. Ergò illis quoq; Christus annuntiari non debet. Illud tamen falsissimum esse, evidentia scripturæ loca testantur. Apostoli enim mandatum habent universale, de informandis gentibus; *Matt. 28. v. 19. Mar. 16. v. 15. Luc. 24. v. 47.* non pijs solum, sed & impijs *Act 13. v. 46. c. 18 v. 6. c. 26. v. 18. 29.* boni enim & mali invitantur ad nuptias spirituales *Matth. 22. v. 10.*

16. Deinde Polanus excipit esse fidei articulum, Deum nos elegisse in Christo, ante jactum mundi fundamentum, tamen damnandi non coguntur credere, se esse electos in Christo ad vitam æternam, alias cogerentur credere mendacio, cum falsum sit se esse electos ad vitam æternam. Respondeo à diversis malam fieri illationem, articulus enim redemptionis per Christum acquisitæ, & articulus electionis ad vitam, non pari passu ambulant. Multi quidem ad beneficiorum Christi participationem sunt vocati, sed pauci electi. *Matth. 22. v. 14.* Malè ergò colligit Polanus ex particularitate electionis, redemptionem per Christum factam non esse universalem. Ejusdem farinæ sunt, quæ à Polano subjunguntur. Quod Christus ipse prius suscipiendus fide, quam mortis ejus beneficia. Nihil enim ad rhombum, argumentum nostrum est & manet invictum; scilicet damnandos propterea damnari, quia Christum rejecerunt. Ergò Christum illis datum colligimus.

17. Pergit Polanus argumentari hoc modo: Pelagiani crediderunt & docuerunt, Christum pro universis & singulis hominibus passum & mortuum esse, ac proinde etiam pro ipsis: sed num propterea ipsi inter verè credentes sunt referendi. Respondeo invertitur status quæstionis, & distinctissima confunduntur. Aliud namq; est: Christum pro omnibus esse mortuum; & aliud homines esse verè credentes. Prius refertur ad meriti Christi acquisitionem. Posterius ad ejusdem applicationem. Proinde non valet illatio: Christus pro omnibus mortuus. Ergò omnes sunt verè credentes. Proinde quod subnectit Polanus, argumentum nostrum sese invicem evertere, falsum est. Rectè quidem scripturâ prævia dicimus: impios damnari, quia Christum cum beneficijs rejiciunt, 2. *Thes.* 1. *v.* 8. 9. 2. *v.* 12. *Act.* 28 *v.* 23 & seqq. At cum asserimus eadem prævia scripturâ, Christum pro impijs mortuum, eos fructus passionis & mortis Christi participes esse, non affirmamus. Facilimè ergò, licet Polanus secus sentiat, illa duo conciliamus; quippe inter mortis Christi acquisitionem: & ejusdem applicationem, sive usum & fructum, scriptura accuratè distinguit conf. *Luc.* 14. *v.* 16, 17. 18.

18. Sed nondum quiescit Polanus; negat enim Christum pro omnibus illis esse mortuum, quibus Evangelium annunciatur, sed dicit requiri simul fidem à parte hominum, ob locum *Hebr.* 4, *v.* 2. Hinc concludit, qui non credunt in nomen unigeniti filij Dei, pro ijs propitiationem factam non esse, cum jam sint condemnati, & ira Dei maneat super eos. Respondeo. locus *Hebr.* 4. *v.* 2 nihil aliud dicit, quam sermonem auditum, nihil fine fide prodesse. Unde ipse Piscat. in h. l. textum ita exponit: non satis esse sermonem Evangelij audire, sed oportere quoq; fide illum contemperare, secus illum non prodesse. Quæ verò consequentia: auditus verbi divini non est salutaris, sive non prodest sine fide. Ergò Christus non est pro omnibus hominibus mortuus? Denue confunditur mors Christi, cum ejusdem utilitate usu & fructu.

19. Ad profyllogismum, Polani, ubi dicit ex *Joh.* 3. *v.* 18. 36. non credentes jam esse condemnatos, & super illos iram Dei manere.

Respon-

Respondeo super incredulos quà tales manere sententiam damnatoriam & iram Dei, quia medicinam spiritualem vulneribus spiritualibus applicandam: Una cum medico spirituali rejiciunt. Id enim notatur voce incredulitatis. Sicuti ergò credens Christum recipit *Joh. 1, v. 12. Col. 3. v. 6.* ita incredulus Christum respuit *Joann. 1. v. 11.* Quod quamdiu facit; ira Dei manet super illum, verbi causa: Saulus persequens Ecclesiam & cædem ac minas spirans adversus Christi discipulos, erat incredulus, ira ergò Dei hactenus manebat super Saulum; hinc tamen nullâ ratione licet inferre, Ergò Christus pro illo tum temporis non fuit mortuus. Quod si diversitatem aliquam inter Saulum postmodum conversum, & alios impios certò damnandos esse dixeris; illam tamen in hac ipsâ materiâ de quâ agimus deprehendi negamus. Proinde argumentum Polani invertimus, hoc modo colligentes. Quicunq; damnantur ob incredulitatem, pro illis Christus mortuus est. Atqui impij damnantur ob incredulitatem. Ergò Christus pro illis mortuus. Majoris veritas ex naturâ incredulitatis liquidò constat. Quam verbis Gualtheri in locum *Joh. 3. v. 19.* exponere libet: At quia durum videtur, tot simul damnare, causam subjicit: Quia non credit, id est non talem agnoscere voluit, unigenitum Dei filium. Hinc argumentamur invictè. Quicunq; damnantur, quia unigenitum Dei filium agnoscere noluerunt. Pro illis Christus est mortuus. At omnes impij damnantur, quia unigenitum Dei filium agnoscere noluerunt. Ergò pro illis Christus mortuus est. Major suâ luce radiat. De Diabolo enim non dicit scriptura illum damnari, quod non crediderit in Christum, aut quod illum non agnoverit, quia nobis hominibus tantum natus & datus *Esa. 9. v. 6.* Et Christus non angelos, sed semen Abrahæ assumpsit *Hebr. 2. v. 16.* Scriptura itaq; causas damnationis ipsius Diaboli allegans ait: Deum angelis peccantibus non pepercisse, sed catenis noctis in tartarum præcipitatos tradidisse in judicium. *2. Pet. 2. v. 4* eò quod non servaverint suam originem, sed reliquerint suum domicilium *Jud. v. 6.* De hominibus verò, damnandis quod benè notandum, ita loquitur: impij gratiam Dei nostri transferunt ad lasciviam, ac

Deum qui solus est herus, ac Dominum nostrum Jesum Christum negant *Jud. v. 4.* hinc ultio æterni exitij infligenda iis, qui non noverunt Deum, nec obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi *2. Thes. 1. v. 8.* Unde cum pij abjiciunt agnitionem Domini, & Servatoris Jesu Christi, fiunt illis postrema pejora primis. *2. Pet. 2. 20.* Et Spiritus Sanctus arguit mundum de peccato, quia non credunt in Christum *Joh. 16. v. 9.*

20. Et tantum roboris inest huic argumento, ut adversarios invitos, nostris terminis uti compellat. Polanus enim formans Syllogismum, cujus conclusio est: Ergò pro reprobis etiam Christus est mortuus: Dicit concedo conclusionem rectè intellectam. Pro reprobis etiam Christus est mortuus, nimirum quoad sufficientiam. Quamvis verò sufficientiam non rectè exponat, cum subjungit: mors Christi esset λύτρον sufficiens etiam pro reprobis, imò pro centies mille mundis, si omnes crederent. Diversissima enim sunt: Christus sufficienter ex intentione Dei verè mortuus fuit pro reprobis. Quod dicit scriptura, & nos idem ex illâ. Et reprobi non credunt. Nostra enim incredulitas fidem Dei non evacuat *Rom. 3. v. 3.* licet ergò nos increduli simus; Deus tamen fidelis manet *2. Tim. 2. v. 13.* Non itaq; sic concludendum, mors Christi fuit λύτρον sufficiens pro reprobis, si crederent. Absentia enim fidei non negat actum mortis Christi. Distincta enim illa sunt. Ergò de distinctis distinctè agendum & loquendum.

21. 5. Producimus locum *Rom. 14. v. 15.* collatum cum *1. Cor. 8. v. 11.* ubi expressis verbis dicitur, perdi posse fratrem esca, pro quo & propter quem Christus est mortuus. Hinc argumentamur. Quicunq; mortuus est pro illis qui perire possunt, ille non pro solis mortuus electis. At Christus mortuus est pro illis, qui perire possunt, vi allegatorum locorum. Ergò non pro solis electis. *Wendelinus tractatu de predestinat. cap. 14. 77.* negat minorem. verba ejus hæc sunt: si pro eo fratre Christus est mortuus, qui à veritate Evangelicâ totaliter & finaliter descivit, quippe absolutè perditur & perit non tantum respectu causarum secundarum, sed & primæ, hoc est Dei manum ab ipso abstrahentis, & in æternum

exitium

citiam præcipitantis, sequitur utiq; pro reprobo Christum esse mortuum. Sic igitur assumptionem negamus. Explicat itaq; textum hoc modo; noli perdere quantum in te est, offendendo & scrupulum injiciendo Idem ait Polanus, qui tamen sibi videtur contrarius, dicendo Christum propter infirmos fratres mortuum judicio charitatis. Unde Pareus in hunc locum ait p. 1454. omnes fidem Christi profitentes pro redemptis habet charitas Christiana. Respondeo. Apostolum non tantum loqui, de eo quod possibile est secundum quid, si scilicet consideremus. 1. homines sibi relictos. quibus nihil in hac vitâ est infirmius 2. ratione Satanæ cujus potentia quoq; fidelibus & electis sit formidabilis, 3. ratione scandalorum, quæ etiam piis sæpè objiciuntur, in superabilia, nisi sustentarentur à Deo: sed & imprimis quod actu fieri potuit. Nisi enim hoc affirmetur, omne perit, argumenti Apostolici robur. Quod hoc est: vide ne cibo tuo perdas fratrem, ob quem Christus mortuus est. Item: peribit frater tuus, qui infirmus est in tuâ scientiâ, propter quem Christus fuit mortuus

22. Quod si hic adversariorum obtinebit instantiâ: pro quo Christus est mortuus, illum nullâ ratione perire posse, objici potuit Apostolo argumenti infirmitas, hoc modo. Tu Paule urges perditionis infirmi fratris periculum. Ad id nullum, imò vanum est, non enim possunt perire à Christo redempti. Ursisset ergò Paulus id periculum, quod tamen non fuisset metuendum. Ita ergò inferimus. Quæcunq; exceptio ex argumento Pauli solido, inane facit terriculamentum, & asserit Spiritum Sanctum verbis mendacibus, ut loquitur Dn. Scaffmannus contra Piscatorem terrere homines, illa utiq; non est vera. At adversariorum nostrorum exceptio talis est. Ergò.

23. Quatuor equidem argumentis Pareus assertioni suæ fidem facere conatur, quæ maximam partem ex confusione hominis renati & electi, oriuntur. Quæ duo tamen ut latius & angustius in scripturâ distinguuntur. Nam *Luc. 8. v. 13.* hi qui cum gaudio recipiebant sermonem, & ad tempus erant credentes, erant renati-

Renatus enim ille dicitur qui in Christum credit, conf. *Gal. 4. v. 19.* Quia verò tempore tentationis recedebant, & in Christo vite spirituali non manebant *Joh. 15. v. 6.* non erant electi. Pari modo Simon baptizatus ac credens erat renatus *Act. 8. v. 13.* Sed quia cor ejus non erat respectu perseverantiæ rectum coram Deo *Act. 8. v. 21.* non fuit electus. Unde patet inter renatum & electum esse discrimen, renascentia enim respicit fidem præsentem, electio autem fidem perseverantem *Tit. 1. v. 1. Matth. 10. v. 22.* Hinc potest quis esse electus, qui actu non credit, ut Saulus postea Paulus dictus Ecclesiam persequens non erat actu credens *Act. 9. v. 1. 1. Tim. 1. v. 13.* fuit tamen respectu divinæ προγνώσεως electus *Rom. 1. v. 2. 1. Pet. 1. v. 1.*

14. Præsupposito hoc principio immoto. Respondeo ad primum argumentum, quod hoc est: electi perire non possunt. *Matth. 24. v. 24.* Morte Christi redempti, sunt electi. Ergò perire non possunt. Minor hujus Syllogismi, universaliter sumpta principium petit, ut ex *Thes. 21.* videre est. Possunt enim quidam morte Christi redempti damnari, vide *2. Pet. 2. v. 1 & 20. 21. Hebr. 6. v. 6. Jud. v. 4.* Secundum argumentum Pareus desumit ex *Joh. 10. v. 28.* Oves Christi, nemo potest rapere ex illius manu, pro quibus Christus mortuus sunt oves Ergò. Respondeo appellatione ovium vel intelliguntur renati, vel electi simul. Si prius, vera quidem major, neminem scilicet renatos externâ violentiâ (id enim verbo ἁρπάσῃ notatur confer. *Joh. 6. v. 15. 1. Cor. 6. v. 12.*) ex manibus Christi eripere. Interim posse eosdem peccatis indulgentes *Esa. 59. Rom. 6. v. 12. c. 8 v. 13.* sese suâ sponte subducere. *Hebr. 10. v. 38.* & à gratiâ Dei deficere *Hebr. 12. v. 15.* sive excidere *Gal. 5. v. 4.* spiritum gratiæ extinguere *1. Thes. 5. v. 19.* & à Christo in aliud Evangelium transferri *Gal. 1. v. 6.* testis est scriptura, locis allegatis. Quod si ovium nomenclaturâ electi indigitantur, tum minor exclusivè intellecta falsissima est Licet enim Christus pro electis rectè dicatur mortuus; pro illis tamen solis mortuum, scripturæ ductum secuti, pernegamus, ut partim ex hac, partim futurâ plenius constabit disceptatione.

25. Tertiò

25. Tertiò itacolligit Pareus. Electio Dei est immutabilis. At mutaretur si perire possent electi. Responsio ex præcedentibus petipotest, ubi dictum electos ob scientiæ divinæ infallibilitatem finaliter non interire. *Matth.* 24 *v.* 24. Negamus verò omnes morte Christi redemptos esse electos. Semper enim distinguimus inter mortis Christi acquisitionem universalem *Rom.* 5. *v.* 15. & ejusdem applicationem vitio hominum particularem *Gal.* 5. *v.* 22.

16. Tandem infert Pareus neminem perire posse pro quibus Christus oravit *Joh.* 17. Respondeo agit de electis, ut ex *v.* 24. constat. Quod igitur paulò ante responsum hic repetendum erit. Atque sic huic disputationi colophonem imponimus, & Christo sanguinem suum pro nobis fundenti devotas gratias agimus.

Reliqua sententiæ orthodoxæ fundamenta futura
σὺν Θεῷ collatio exponet.

CUM

CUM DEO.

1.

ABsolutis gratiâ Dei quinq; sententiæ orthodoxæ fundamentis; Christum scilicet pro omnibus hominibus, reprobis non exclusis satisfeciſſe, ſive ut termino ſcripturæ utamur: pretium redemptionis dediſſe, progrediemur volente Deo, ac alia ſententiæ noſtræ fundamenta ex ſcripturâ producemus. Sextum ergò orthodoxiæ noſtræ fundamentum ſit, ex *Luc. 2. v. 10.* ubi prima de Chriſto nato extat Angelica concio, quæ paſtores ex viſione claritatis Domini valdè conſternatos erexit. Concionis autem ſumma eſt: nolite timere. Addit Angelus rationem: quia annuncio vobis gaudium magnum. Potuiſſent cogitare paſtores: quid illud ad nos. Hiſce cogitationibus occurrens angelus inquit: futurum erit παντὶ τῷ λαῷ, omni ſive toti populo. Argumentum ergò formamus tale: Quocunq; gaudium reſpectum habet ad omnem populum, illud male reſtringitur ad quosdam ex populo. At gaudium ex Chriſti nativitate ortum, reſpectum habet ad omnem populum. Ergò malè reſtringitur ad quosdam ex populo.

2. Argumentum hoc adeo eſt perſpicuum, ut Gualterus in hunc locum, expreſſis verbis dicat: nota Chriſtum univerſalem eſſe Salvatorem. Et ne quis cum Wendelino alijsq; univerſalitatem illam ratione credentium exponat. Subjungit Gualterus: Quod multi non ſalvantur, illorum culpa ſit, quod probat ex *Joh. 3. v. 18. 19.*

3. Piſcator locum hunc eludere conatur dicendo, articulum τῷ λαῷ indicare populum Dei electum hîc intelligendum eſſe. Reſpondeo quinam vocem illa: τῷ λαῷ exprimantur, non opus eſt, ut id aliunde; quam ex ipſo contextu diſcamus. Senior ergò Simeon inſtinctu Spiritus S. locutus, erit omnium optimus interpres, ille, fatente Gualtero, Chriſtum generalem eſſe Servatorem affirmat quando *Luc. 2. v. 30.* & ſeqq. ait: oculi mei viderunt ſalutare tuum,

tuum, quod parasti ante faciem πάντων τῶν λαῶν. Quem verò populum intelligat, subsequenti distributione indicat v. 32. lumen ad revelationem ἐθνῶν gentium & gloriam λαοῦ ἰσραὴλ populi Israël, ubi ne Piscatoris exceptio, de præposito articulo locum habeat, nulli voci præfigitur articulus. Quamvis aliàs illa observatio sit nulla. In multis enim propositionibus sine controversiâ universalibus, articulus præfigitur. videantur inter alia *Rom. 11. v. 32. 2. Cor. 5. v. 10. 1 Cor. 4. v. 5. Gal. 3. v. 22.* & passim.

4 Ubi & hoc simul observandum est, in distributione Simeonis gentes & Judæos conjungi. Fatetur autem ipse Beza in cap. 1. Rom. quoties Græci opponuntur Judæis, omnes gentiles significari. Illud verum esse probatur ex *Rom. 3. v. 9. & 10. v. 11.* Hinc ita colligimus: quod gaudium destinatum est Judæis & gentibus illud universo mundo destinatum est. At gaudium ex nativitate Christi ortum destinatum est Judæis & gentibus. Ergò universo mundo destinatum est. Majoris veritas ex loquendi consuetudine scripturis usitatâ patet. Quando enim aliquid conjunctim de Judæis & gentibus in salutis & religionis negotio affirmatur aut negatur, tum illud de toto mundo intelligitur, ut paulò ante dictum.

5. Polanus *Lib. 6. Theol. Syntag. cap. 18.* negat mentem Angeli hanc fuisse, Christum pro universis atque singulis hominibus, nullo demto aut excluso mortuum fuisse, id probat testimonio Angeli Josepho apparentis *Matth. 1. v. 21.* ille addens rationem nominis Jesu, vocabis inquit nomen ejus Jesum, Ipse enim liberabit populum suum ex peccatis ipsius. Unde concludit Polanus. Illi populo omni, qui populus Jesu futurus, quem Jesus ex peccatis liberaturus erat, gaudium illud debuit obvenire. Respondeo gaudium ex nativitate Christi ortum, consideratur vel respectu divinæ intentionis; vel respectu hominum applicationis. Priori consideratione negamus, gaudium illud esse particulare. Cum enim utrinq; in confesso sit, gaudio illo exprimi salutiferam Dei gratiam, omnibus hominibus illucescentem *Tit. 2. v. 11.* esse nuptias illas spirituales, quas pleriq; neglexerunt *Matth. 22. v. 3.* & seqq. esse cænam illam magnam, in qua comparere maxima invitatorum pars recusavit *Luc.*

14. v. 18. Summa esse Evangelium de Christo, non pijs solum, sed & impijs annuntiandum Act. 17. v. 46. 6. 18. v. 6 2. Thes. 1. v. 8. quis jam concluderet, gaudium illud ex divinâ intentione consideratum esse, solorum credentium?

6. Excipit Polanus; Non est lætatus Herodes: non sunt gavisi Sacerdotes elati, non Pharisæi inflati; sed Pastores viles. Respondeo à negatione actus, ad negationem divinæ intentionis nulla est consequentia. Pari modo inferrem: non comparentes in nuptijs spiritualibus, nullam ex ijsdem perceperunt gaudium. Ergò Rex ille, ingratos illos hospites invitans, nullum illos voluit ex nuptijs percipere gaudium? contrarium indicat textus v. 7. 8. 9. 10. Sic 2. par. 36. v. 23. Cyrus tex persatum omnibus Judæis in patriam revertendi dedit potestatem. Plurimi in captivitate manserunt, valetne illatio: multi Judæorum liberationis gaudium actu non perceperunt. Ergò Cyrus illud eos percipere noluit. Textus contrarium dicit. Simili ratione Exod. 21. v. 2. Hebræo servo septimo anno libertas concedebatur. Nonnulli illorum oblatam libertatem respuerunt v. 5. valetne consequentia: Servus actu non fuit dimissus, propriâ scilicet obstante voluntate. Ergò ex voluntate & intentione Domini dimitti non debuit.

7. In specie quod Herodem attinet, ille suo metuebat regno, Christum mundanum fore regem arbitratus. Sacerdotes & Pharisæi impegerunt in lapidem offendiculi, exspectantes Messiam à Romanorum jugo sese liberantem. Quia verò in Christo, nil nisi humilitatem, & abjectam speciem videbant, prædicatio de Christo ipsis fuit offendiculum 1. Cor. 1. v. 23. & sic verum esse videmus illud paulinum: non multos sapientes secundum carnem, non multos claro genere natos electos. Hujus rei causâ, non est in mortis Christi particularitate, sed hominum malitiâ posita. Ut igitur in specie ad oppositum locum Matth. 1. v. 21. respondeamus, distincta confunduntur. Ipsa scilicet actualis salvatio, vitio & culpâ hominum particularis, cum morte Christi, pro universo mundo præstitâ, vel, ut alij loquuntur; confunditur mors Christi cum ejusdem fructu.

Nulla

Nulla igitur firma consequentia: fructus culpâ hominum fit particularis. Ergò mors ipsa particularis est.

8. Agnoscit hoc ipse Musculus in Loco de peccatorum remissione Q. 2. qua quærit quibus peccata remittuntur. Respondet si consideremus eos qui peccatorum suorum remissionem per gratiam Dei acquirunt, quemadmodum electorum, ita & istorum modicus est numerus, respectu reproborum quorum peccata in sempiternum retinentur. Verum nos hic non quærimus, quibus nam gratia hæc remissionis contingat: Sed potius quibus sit annuncianda & proponenda. Hic non est ut certos quosdam statuamus, quibus solis si prædicanda remissio. Communiter ad illam vocantur omnes, Judæi & Græci, docti & indocti, sapientes & insipientes, divites & pauperes, senes & parvuli, viri & mulieres. Quemadmodum enim Deus concluſit omnes sub incredulitatem, ut omnium misereatur: ita vult gratiam hanc misericordiæ suæ proponi omnibus *Joh. 3. v. 16.* & seqq. *Joh 2. v. 2.* Et subjungit allegato loco Musculus, arbitrari se mundi dictione intelligendum esse universum genus mortalium, unde hic mundus à principio ipsius, ad finem usq; constat. Cum igitur pro mundo Deus filium suum dedisse, & ille pro totius mundi peccatis propitiatio esse dicitur, quid aliud significatur, quam gratiam remissionis peccatorum destinatam esse mortalibus omnibus, ut omni creaturæ sit annuntiandum Evangelium. Hactenus Musculus.

9. Unde constat eundem distinguere inter remissionem peccatorum quatenus actu in credentibus Dei gratia acquiritur, Et inter eandem quatenus ex divinâ intentione omnibus in mundo mortalibus destinatur & annuncianda proponitur. Pari modo ut nos distinximus: inter mortis Christi fructum & usum culpâ hominum particularem: & inter ipsam Christi mortem, respectu divinæ intentionis æstimatum universalem. Id enim veritati consonum esse ita probamus ex verbis Musculi. Quibus remissio peccatorum ex Dei mandato est annuntianda, pro illis Christus est mortuus. Atqui omnibus in mundo mortalibus, ex Dei mandato annuntianda est remissio peccatorum, fatente Musculo allegato loco. Ergò pro illis Christus est mortuus. M. jo-

rem nemo nisi photinianizans negabit. Mors enim Christi & remissio peccatorum nexu indivulso, respectu oblationis & acquisitionis cohærent, adeo ut ἀληθεύεσθαι τὸ ἕτερον τῷ ἑτέρῳ committatur, si quis dicat, offerri alicui & annunciari remissionem peccatorum, nullo habito ad Christi mortem respectu. Sicuti enim extra Christum nulla vita æterna 1. Joh. 5. v. 11. imo nulla promissio vitæ 2. Tim. 1. v. 1 nulla salus 2. Tim. 2. v. 10. Act. 4. v. 12. ita nulla remissio peccatorum Act. 10. v. 43. c. 13. v. 38. argumentum ergò à remissione peccatorum, ad mortis Christi illationem est immotum.

10. Septimum fundamentum desumimus ex loco classico Joh. 1. v. 29. ex quo ita inferimus, qui morte sua tollit peccata mundi, ille non solum mortuus est pro electis. At Christus morte sua tollit peccata mundi. Ergò non solum mortuus est pro electis. Excipit Polanus, appellatione mundi intelligi solos credentes & electos. Verum illam exceptionem principium petere, imò falsam esse demonstrat typus à Piscatore in hunc locum adductus, hirci scilicet emissarii. De illo expressis verbis dicitur Levit. 16. v. 21. summum sacerdotem debuisse confiteri וְהִתְוַדָּה עָלָיו אֶת־כָּל־עֲוֹנֹת בְּנֵי יִשְׂרָאֵל וְאֶת־כָּל־פִּשְׁעֵיהֶם לְכָל־חַטֹּאתָם postquã ita peccata omnia nullis exceptis hirco illi, Christi typũ gerenti imposita, subjũgitur hirco illũ portaturũ super se כָּל־עֲוֹנֹתָם omnes iniquitates eorum. Quicquid itaq; sine ullâ restrictione affirmatur de typo, id quoq; verè affirmandum erit de antypo. Atqui omnium, omnium inquam, non quorundam peccata hirco fuisse imposita, & ab eodem portata affirmatur de typo. Ergò idem quoq; affirmandum erit de antitypo. Si dixeris: typum & antitypum non per omnia quadrare, id dextro sensu concedimus: ita tamen, ut typum & antitypum accuratè, quatenus est typus & antitypus, consentire dicatur. Et detur quæso rario evidens cur hircus dicatur portare typicè omnia, omnia inquam Israëlitarum peccata. Christus autem tantum solorum electorum. Numne plus esse potest in typo, quam in antitypo?

11. Pro-

11. Provocat autem Polanus ad auctoritatem Augustini, de quo ait quod hæreseos à nobis incusari non possit. Is *Tom. 7. contra Donatistas dicit p. 733.* nolentes (Donatistas) consentire mundi nomine Ecclesiam posse significari. Item: Donatistæ dicebant mundum semper in malam significationem positum, & testimonia de scripturis dabant, quia scriptum est: si quis dilexerit mundum, non est charitas patris in illo: & cætera talia. Nos verò non solum in malam, sed etiam in bonam significationem mundum in scripturis positum respondebamus, & commemorabamus etiam illud quod scriptum est: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi. Respondeo Augustinus nil aliud agit allegato loco, quam ut vocem mundi pro Ecclesia aliquando sumi dicat, ut cum dicitur *Matth. 13. v. 38.* ager est mundus. Sed disputat simul contra Donatistas in illa Ecclesia esse quoq; malos & impios asserens. Verba ejus hæc sunt: Cum verò boni & mali idem verbum Dei simul audiunt, & simul sacramenta percipiunt, & tamen dissimiles habent actuum suorum causas, & dissimiles gerunt voluntatis diversitate personas, eundem cibum sanctum alijs manducantibus dignè alijs indignè. Et post pauca: in illâ similitudine quam ex Evangelio commemoravimus, quod & boni & mali pisces, quousq; in littore, hoc est in fine seculi separentur, intra eadem retia continentur victi evidentiâ veritatis, malos in Ecclesia usq; in finem seculi permixtos esse confessi sunt. Hæc Augustinus. Unde patet, illum adversariorum causæ non patrocinari; mundus enim illi notat non solos electos, quæ acceptio inter nos & adversarios controversa est, sed Ecclesiam vocatorum. Quod si in loco *Joh. 1. v. 29.* vox illa eandem obtineret significationem, nihilominus thesis nostra maneret firma; Christum scilicet pro reprobis quoq;, non solis electis esse mortuum. Ecclesiam namq; externam visibilem non ex solis constare Electis, testis est *Bucanus Loc. 41. Quæst. 24* ubi largitur & quidem rectè, posse Ecclesiam particularem visibilem relicto Dei verbo errare à veritate. Et Ursinus in explicat Catech. *p. 268.* Ecclesiæ visibili non renatos & hypocritas in doctrinâ & ritibus externis consentientes annumerat.

12. Augustinum verò ad quem tanto conatu provocat Polanus in [illegible] controversa materia, non ab adversariorum sed nostris stare partibus, duobus invictis probamus, ex ipso Augustino desumptis fundamentis, quorum primum desumptum est ab exemplo Judæ, de quo *August. Tom. 2. Epist. 162.* ait: Tolerat ipse Dominus Judam Diabolum, furem & proditorem suum: sinit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles noverunt pretium nostrum Conf. *Tom. 7. August. p. 532.* Hinc ita argumentamur. Qui dicit Judam proditorem accepisse in S. cœna id, quod fideles norunt pretium suum, ille simul affirmat Christum pro Juda reprobro fuisse mortuum. Prius affirmat Augustinus allegatis locis. Ergò. Majoris consequentia ex verbis institutionis desumitur, ubi communicantibus discipulis, Juda proditore non excluso, dicitur: edite hoc est corpus meum, quod pro vobis datur, Bibite hic est sanguis meus, qui pro multis effunditur.

13. Deinde generalius ita inferimus ex *Tom. 7. August. Lib. 3. contra Donast. c. 14.* Quicunq; affirmat hominem perversam habentem fidem, integrum habere sacramentum, ille simul ait Christum pro reprobis esse mortuum. Priùs verum est juxta Augustinum. Ergò. Consideremus Baptismum de quo Apostolus inquit *Rom. 6. v. 3.* Quicunq; baptizati sumus in Christum, in mortem ejus baptizati sumus. Et Ursinus ait in *Catech. p. 30.* Baptismum esse absolutionem quæ fit aquâ in nomine Dei Patris, & Filij, & Spiritus S. à Christo instituta, ut sit testimonium, eum qui baptizatur receptum esse in fœdus gratiæ, à Deo propter Christum &c. Quicunq; igitur asseverat cum de Sacramenti integritate tractatur, nihil interesse quali fide imbutus sit ille qui accipit. Ille pro baptizato omni etiam reprobo, Christum mortuum affirmat. Prius facit Augustinus allegato loco. Ergò. Ex his itaq; videre licet, quâ conscientiâ tam audacter in hac materiâ ad Augustinum provòcent adversarij.

14. Octavum sententiæ nostræ fundamentum depromimus ex loco *Esaiæ 53. v. 6.* cuicunq; impositæ sunt iniquitates omnium, in viam suam declinantium, & sicut pecudes errantium, ille non tantum satisfecit pro electis. At Christo impositæ sunt iniquitates omni-

omnium, in viam suam declinantium & sicut pecudes errantium. Ergò Christus non tantum satisfecit pro electis. Majoris consequentia evidentissima est: declinare enim in viam suam, quam scilicet quisq; proprio arbitratu elegit, & sicut pecus errare, non est nota electorum, sed omnium hominum, culpa Adami errantium periphrasis, ut videre est ex *Psal. 14. v. 3. Roman. 3, v. 9. 10. 11.* Hinc ipse Calvinus hunc locum ita exponit, ut reprobos non excludat, verba ejus sunt: neminem autem excipi videmus, cum omnes Propheta comprehendat. Et sub finem capitis dicit Calvinus: Christo totius mundi reatus fuit impositus. Oecolampadius in locum Esaiæ ait: Hic manifestè apparet nullum esse absq; peccato, & omnes nos opus habuisse redemptore Christo. Quæ denuò malè solis applicantur electis.

15. Vana proinde est exceptio Polani prophetam de fidelibus & in Messiam credentibus tantum loqui existimantis, num ne soli credentes sunt pecus errans, & in viam suam proprio arbitratu electam declinant. Anne hæc est omnium hominum in Adamo peccantium descriptio, ut paulo ante dictum. Nec juvat Polanum primò prophetam se numero errantium includere. Si hinc concluditur, de solis credentibus loqui textum, pari modo inferi posset, Paulus, *Thess. 4. v. 17.* se annumerat viventibus per usitatam figuram quæ dicitur κοινωσεως. Ergò soli credentes vivent, Christo ad judicium venturo, conf. alios locos ubi similis est figura. *Cor. 11. v. 32. Gal. 5. v. 13. 1. Pet. 4. v. 3. Eph. 2. v. 3.* Nec secundò Polano patrocinatur allegatio ex *1. Pet. 2. v. 24. 25.* ubi locus Esaiæ, credentibus applicatur. Similiter quis cum Photinianis inferret Esaiam loquir tantum de morbis corporalibus, & eorundem sanatione, quia *Matth. 8. v. 18.* ita applicetur. Cum enim Christus multos male habentes corporaliter sanaret, impletum esse dicitur: hic infirmitates nostras suscepit & morbos portavit. Quod igitur respondet *Martyratus in cap. 8 Matth.* Christum scilicet animi & corporis morbos sanare. Idem dicimus in loco Esaiæ, de omnibus hominibus quorum peccata Christus tulit, sermonem esse, quamvis à Petro pijs & credentibus, ratione applicationis usus & fructus accommodetur.

16. Nec

16 Nec est quod quisquam urgeat vocabulum ovis, quæ vox electos notet & credentes. Primo enim in textu authentico vox צֹאן extat, quæ in genere omnia minora pecora, hircis & capris non exclusis, complectitur, fatente ipso Piscatore in *Cap. 7. Esaiæ p. 107.* ubi ita ait: in Hebræo est vox צֹאן quæ utrumq; illud pecoris genus complectitur, ut videre est *Levit. 1. v. 10.* Unde Avenarius in Lexico suo inquit צֹאן est nomen collectivum, aliquando etiam de capris dicitur; significat enim propriè pecudes lanigeras quæ tondentur, ut nihil dicam vocabulum ovis metaphoricè sumptum, non facta hircorum & ovium oppositione, in genere notare quosdam, quibus non electi admixti sunt *Matth. 10. v. 16. Joh. 21. v. 17.* conf. *Psal. 49 v. 15.*

IX

17. Nonum argumentum subministrat nobis locus Pauli classicus *Rom. 5. v. 18. 19.* Unde ita colligimus quos inobedientia Adami peccatores fecit, hos obedientia Christi (respectu scilicet meriti acquisiti) justos constituit. At omnes omninò homines inobedientia Adami peccatores fecit. Ergò obedientia Christi, eosdem justos (resp. meriti acquisiti) constituit. Major clarissimè fundatur in textu. Dicitur enim apertis verbis, teste ipso Beza. Sicut per unius offensam reatus venit in omnes homines ad condemnationem, ita per unam justificationem beneficium redundavit in omnes homines ad justificationem vitæ. *v. 19.* Sicut enim per inobedientiam unius illius hominis peccatores constituti sunt illi multi, ita per unius obedientiam justi constituentur illi multi, ubi observandum est, concedente ipso Calvino in *cap. 53 Esaiæ p. 400.* vocem multi idem esse quod omnes. Qui ergò in Adamo perierunt illi in Christo servati sunt. At omnes omninò homines in Adamo perierunt. Ergò omnes quoq; in Christo servati sunt. Hinc Gualterus in *Cap. 5. ad Rom.* rectè ait: justificationem hanc omnibus communem facit, perinde ut damnationem.

18. Wendelinus *Cap 13.* de prædestinatione p 17. argumenti hujus robur infringere, satagens ait: Probatio ex Paulo ad rem nihil facit. Nec enim Paulo unquam in mentem venit justificationis beneficium, de quo loquitur, ad omnes promiscuè Adami filios

filios extendere. Hoc enim paradoxum scripturæ & experientiæ adversatur, Sed ostendere saltem modum, quo facta electorum restitutio, nempè per justificationem in Christo, quâ sola sunt restituti, quicunq; sunt restituti. Ut igitur per Adami inobedientiam omnes constituti sunt peccatores injusti. Sic per Christi obedientiam constituuntur justi, quicunq; coram Deo pro justis habentur. Non exæquat ergò Paulus beneficium justificationis à Christo in homines redundans, cum condemnatione ab Adamo propagatâ respectu subjectorum: quasi omnes in Adamo damnati, in Christo quoq; sint justificati, sed respectu originis & causæ, Hactenus Wendelinus. Sed textus nimis est clarus proinde hæ errorum nebulæ facilè dissipabuntur. Dicitur conceptis verbis: sicut venit per unam offensam damnatio in omnes homines: ita per unam justificationem beneficium redundavit in omnes homines. Item: sicuti inobedientiâ unius homines peccatores constituti multi: ita obedientiâ justi constituentur multi.

19. Si dixeris absurdum esse justificationis beneficium ad omnes promiscuè Adami filios extendere, cùm experientia testis sit non omnes justificari. Respondeo justificationem considerati dupliciter. Primò respectu acquisitionis, sive ratione meriti acquisiti & justitiæ partæ. Qua consideratione justificatio vigore allegati loci est universalis, omnibus enim in Adamo lapsis justitia amissa, fuit ratione meriti acquisita, vi allegati loci classici. Deinde justificatio consideratur respectu applicationis per fidem factæ. Quo respectu est particularis, quia fides justificationis à parte nostra organum, vitio & culpâ hominum non est omnium 2. *Thes.* 3. v. 2, Philippus Melanch. in locum hunc ita ait: Quod inquit, justitiam pervenire ad omnes homines propter unius justitiam, de promissione seu de verbo intelligatur, quod offert omnibus universaliter gratiam, etiamsi non omnes accipiant. Juxta illum ergò distinguitur, inter justitiæ Christi oblationem omnibus factam universalem: & ejusdem per fidem applicationem seu acceptionem particularem.

20. Wendelinus distinctionem hanc frivolam appellat & scripturis ignotam. Qui enim verè justi constituantur per λύτρον

Christi, eosdem & justificari. Si igitur constitutio justorum per Christi λύτρον sit universalis & justificationem esse universalem. Respondeo, discrimen esse inter justitiam Christi quatenus omnibus offertur. Et quatenus à partè hominum acceptatur, ita clarũ est, ut qui illud neget, se cum ratione insanire fatendum sit. Junius in Cap. 22. Matth. inquit: vocatio generalis offert Evangelium quibusvis. Et Marloratus ait in eundem locum: damnatur judæorum crudelis ingratitudo, quum vocarentur ad participationem gloriæ cælestis, & filij Dei societatem illi maluerunt terrena. Piscator exponens quid nuptiarum nomine intelligatur, respondet: sunt beatitudo illa cælestis, qua una cum Christo, post hanc vitam fruentur in æternum electi. Ex his dictis ita argumentamur. Quibus offertur Evangelium, & vocantur ad societatem filij Dei, & cælestem beatitudinem, illis utiq; justitia à Christo est acquisita. At impijs offertur Evangelium, & illi vocantur ad societatem filij Dei & cælestem beatitudinem. Ergò illis justitia a Christo est acquisita. Atque ita sensu Pauli justi constituti, id est justitia ipsis parta. Nisi enim hoc verum, merus esset lusus, invitare aliquem ad id, quod tamen ipsi nullo modo destinatum aut acquisitum. Sicuti ergò scriptura sacra benedictionem Abrahamo promissam considerat primò respectu acquisitionis, ac dicitur benedicentur in te כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה universæ familiæ terræ *Gen. 12. v. 3.* omnes gentes terræ כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ *Gen. 22. v. 18.* πάντα τὰ ἔθνη *Gal. 3. v. 8.* Deinde respectu applicationis quo sensu dicitur *Gal. 3. v. 9.* qui ex fide sunt benedicuntur cum fideli Abraham. Pari ratione justificatio in loco Paulino duplicem illam obtinet considerationem, ut ex textus accuratâ inspectione, sine præoccupatione affectuum factâ liquet.

21. Veritatem hanc non evertit instantia Parei in Epist. ad Rom. dicentis collationem reatus Adami & gratiæ Christi institui, quatenus uterq; quod habet in suos propagat. Respondeo verum hoc est, Christus namq; justitiam in Adamo amissam à se restitutam in omnes homines respectu acquisitionis & decreti divini propagat, Quamvis ergò non omnes actu justificentur homines, omnibus tamen-

men justitia à Christo est acquisita. Quod adeo evidens est, ut Pareus dicto commentario dicat, p. 539. Cur verò non omnes per Christum salventur, culpa non est in ejus gloria, sed in hominum perfidiâ & insaniâ, qui impietate malunt perire quam fide servari. Si itaq; impij propriâ culpâ fide non servantur. Ergò tamen habent fundamentum in Christo, quod possent remotâ illâ insania fide servari. Unde ita argumentamur. Qui remota insania & impietate fide servari possunt, pro illis Christus mortuus est. At damnandi remotâ insaniâ & impietate fide servari possunt, teste quoq; scriptura Mat. h. 13. v. 15, Acter. 28 v. 27. Ergò Christus pro illis mortuus est. Veritatem hanc ulterius probat Pareus allegato loco, hoc comparationis Schemate.

Sicut { ex { Adamo { in omnes { πεῖμα } redundavit
Sic { Christo { { χάρις θεοῦ }

22. Quamvis verò Pareus ut præconceptam suam sententiam corroboret, ita sese explicet, Adamum omnibus suis naturalibus posteris injustitiam Christum omnibus suis fidelibus donum gratiæ accipientibus v. 17. justitiam acquisivisse, Nullum tamen solidum sententiæ illius habet fundamentum. Et confusio fit justitiæ, prout ab hominibus pijs accipitur, de qua v. 17. agitur. Et ejusdem justitiæ, quatenus à Christo omnibus hominibus acquiritur. Expressè enim Paulus dicit: sicut unius offensâ in omnes homines propagatur malum ad condemnationem. Ita unius justitiâ, propagatur bonum in omnes homines ad justificationem vitæ. Non quod omnes actu justificentur, sed quod omnibus justitia in Adamo amissa sit recuperata, adeo ut hoc respectu, propter justitiam perditam, à Christo verò omnibus restitutam, impij se indignos faciant vitâ æternâ Act. 13. v. 46. Finge enim cum adversarijs jus vitæ æternæ impijs non fuisse à Christo recuperatum, Quomodo igitur seipsos indignos facere potuerunt vitâ æternâ. Gualterus in h. l. ait, explicans verba illa: indignos vos facitis vitâ æternâ, id est, fastiditis oblatam in Christo salutem. Qui igitur fastidiunt oblatam in Christo salutem, illis salus ista à Christo est acquisita.

quisita. At impij & incredvli fastidiunt oblatam in Christo salutem. Ergò salus ista à Christo est acquisita. Respectu ergò salutis acquisitæ impij dici possunt justi, de quo hactenus actum fuit.

23 Decimum argumentum pro confirmandâ divinâ hac veritate subministrat nobis locus insignis 1. Cor. 15. v. 22. ubi dicitur omnes in Adamo mortuos à Christo vivificari. Quem locum exponimus de universali omnium hominum resurrectione, non solum quia antecedentia, tum & locus Joh. 5, v. 28. 29. illam urget explicationem. Sed etiam ob plenam Adami primi & secundi oppositionem. In Adamo primo omnes moriuntur. In Adamo secundo omnes vivificabuntur. Ubi quilibet animadvertit, nisi vim textui inferre velimus, de universali mortuorum resurrectione, non verò de piorum solum, cum Beza, Piscatore & alijs locum esse exponendum. Argumentum ergò formamus tale. Qui à Christo ultimo die in vitam revocabuntur, pro illis est mortuus. At omnes omninò homines à Christo in vitam ultimo die revocabuntur. Ergò pro illis est mortuus. Consequentiæ Majoris ratio (de Minore enim non est dubium) desumitur à formulâ condemnatoriâ impiorum hominum, quæ describitur 2. Thes. 1. v. 8. Dominus infliget ultionem ijs, qui non noverunt Deum, nec obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi. Undè ita argumentamur. Quicunq; impij in vitam revocati damnabuntur propterea, quod non obedierint Evangelio Christi, pro illis Christus est mortuus. At omnes impij in vitam revocati damnabuntur propterea quod non obedierint Evangelio Christi. Ergò Christus pro illis est mortuus. Majoris ratio evidentissima est ex definitione Evangelij. Urſinus enim in explicat. Catech. p. 101. Evangelium definit quod sit doctrina, quam Deus primum in paradiso patefecit, & deinceps per Prophetas & Patriarchas propagavit, sacrificijs reliquisq; ceremoniis legis adumbravit, ad extremum verò per filium complevit: docens quod filius ille Dei, Dominus noster Jesus Christus, factus sit nobis sapientia, justitia, sanctificatio & redemptio, hoc est, perfectus mediator, satisfaciens pro peccatis generis humani &c. Quicunq; ergò damnabuntur quia credere noluerunt, Christum sibi factum

sapien-

sapientiam, justitiam, sanctificationem, & redemptionem, pro illis Christus satisfecit. At impij damnabuntur, quia credere noluerunt Christum sibi factum sapientiam, justiciam, sanctificationem & redemptionem. Ergò pro illis Christus satisfecit. Quod erat probandum.

24. Undecimò sententiæ orthodoxæ confirmationem petimus ex illis locis: ubi Christus pro omnibus hominibus mortuus esse dicitur ut. *2. Cor. 5. v. 14. 15. 1. Tim. 2. v. 6. c. 4. v. 10. Hebr. 2. v. 9.* ex quibus locis ita argumentamur. Qui mortuus est pro omnibus hominibus, ille non tantum est mortuus pro electis, quia electi non sunt omnes homines. Atqui Christus est mortuus pro omnibus hominibus. Ergò non tantum est mortuus pro electis. In genere excipitur vocem omnes, sæpius in sacris notare non singulos generum, sed singulorum genera *Matth. 4. v. 23. Luc. 6. v. 26. c. 21. v. 17.* & passim. Respondeo à particulari esi illatio. Non igitur valet consequentia. Vox omnis ex gente subjectâ materiâ aliquando, non singulos generum, sed singulorum genera notat. Ergò quando Christus pro omnibus mortuus esse dicitur, eadem est ratio. Quinam enim allegatis locis intelligantur voce omnes circumstantiæ textus indicant. In primo loco *2. Cor. 5. v. 14. 15.* dicit quidem Piscator voce universitatis omnis intelligi eos, qui in Christum credunt. Sed id falsum esse aperte arguit textus. Gualterus verba allegata ita exponit: ea fuit omnium conditio ut morti obnoxij essent; Sed soli credentes non sunt morti obnoxij. Deinde paulò ante dixerat Apostolus *v. 10.* omnes nos manifestari oportet coram tribunali Christi. Et postea subjungit: pro omnibus mortuus est Christus, de quibus scilicet dixerat coram tribunali Christi esse sistendos. Tertio ex *v. 20.* patet illos omnes pro quibus Christus mortuus esse dicitur esse intelligendos, quibus reconciliationis beneficium est annuntiandum. At non solis credentibus annunciari debet, ut praxis Apostolica abunde docet *Act. 7. v. 51.* & seqq. *Cap. 2. v. 13.* & passim.

25. Excipit quidem Wendelinus: non sequi: ministerium reconcilirtionis est universale. Ergò & reconciliatio, quinonon ad

omnes pertineat reconciliatio ad quos præconium reconciliationis pertineat. Respondeo absurdus est, qui dicit præconium reconciliationis esse universale, & tamen reconciliationem ipsam præconio verbi oblatam à parte Dei non esse universalem. Verbi gratia: Ecclesiæ minister alloquitur impios cum Johanne: agite pœnitentiam & credite Evangelio *Marc. 1. v. 15.* pone jam reconciliationem hanc à parte Dei impio non esse acquisitam, numme sequeretur ministerium verbi merum esse lusum. Nec obtinet instantia: solos credentes reconciliatos esse Christo. Excludi ergò reprobos qui nunquam credunt. Respondeo confunditur reconciliationis à parte Dei acquisitio, cum applicatione à parte hominum credentium facta. Nulla igitur consequentia: reconciliationis applicatio est particularis, solos respiciens credentes. Ergò acquisitio talis est. Gualterus hanc distinctionem in *2. Cor. 5.* ita proponit, discrimen faciendo inter homines Deo reconciliatos, & deinde inter reconciliationis hujus participationem, quæ distinctio eundem obtinet sensum.

26. In secundo loco *1. Tim. 2. v. 6.* Christus ὑπὲρ πάντων mortuus esse dicitur Non autem intelliguntur soli electi, ut Piscator ait in h. l. Quod ex ipso textu ita probamus Pro quibus Paulus nos orare docet. v. . quos Deus vult salvari v. 4. Quibus mortis Christi beneficium est annunciandum v 7 pro illis omnibus Christus mortuus est. At non pro solis electis orare debemus, nec solos electos Deus vult salvari, nec solis electis mortis Christi beneficia sunt annunciandа Ergò non pro solis electis Christus est mortuus, sed pro omnibus hominibus Primum membrum, pro quibus orandum, confirmat Marloratus dicens Paulus non pro fidelibus modò concipi orationes jubet, sed pro universo genere humano. Gualterus ait: charitas extenditur in omnes, pro omnibus ergò orandum Secundum membrum ex primo dependet: id enim ni esset universale, hæc absurdissima oriretur analysis: orate pro omnibus hominibus, reprobis non exclusis; quia Deus electos vult salvari. Proinde ad vitandam hanc absurditatem quilibet videt, Deum velle omnes salvari, Hinc Gualterus quærit? cur nõ omnes salvantur, cum id velit Dominus? Tertium membrum itidem est manife-

nifestum. Quibus Evangelium ex Dei voluntate est annuntiandum, pro illis Christus verè mortuus dicitur conf. *Luc. 2. v. 10. Act. 17. v. 23.*

27. In tertio loco *2. Tim. 4. v. 10.* Christus dicitur σωτὴρ πάντων, Quorum ergò Christus est servator, illorum quoq; est redemptor. At omnium est salvator Ergò omnium quoq; est redemptor. Vox autem σωτὴρ malè redditur per conservatorem cum Beza, Piscatore, Junio, Polano. Cum hic præcisè sermo non sit, de rerum omnium cōservatione, sive universali Dei providentiâ, ut loquitur Polanus, brutis ac bestijs quoq; competente *Psal. 36. v. 8.* sed de spirituali redemptione. Quod ex textus scopo luculenter elucet. Quænam enim consequentia: exerce te ô Timothi in pietate; habet enim hujus & futuræ vitæ promissionem, minimè vacillantem, & propterea quia spem illam possidendi vitam æternam habemus, quasvis adversitates patiente animo toleramus. Quia Deus omnes homines providentiâ universali conservat. Quod si textum explico, de redemptione spirituali per Christum præstita, tum demum omnia rite cohærent, & efficax solatium præbent; nimirum spem habemus in Deo vivente, qui licet permittat pios suos multis objici calamitatibus, tamen illorum est σωτὴρ servator, quippe omnium hominum redemptor. Hanc explicationem confirmat insuper nomen σωτὴρ semper de salvatione spirituali in N. T. non equidem exclusâ corporali intellectum, sicuti perpetua locorum collatio docet. Verbum quidem σῶσον, σωθῆναι quod urget Polanus *Matth. 8. v. 25. Act. 27. v. 31.* de salvatione corporali tantum, aliquando usurpatur. Nomen vero σωτὴρ non item, sicuti ex constanti locorum collatione patebit.

28. Quartus locus *Hebr. 2. v. 9.* explicatur quidem ab adversarijs de electis, sive ut loquitur Piscator in *2. Cor. 5. v. 15.* de pueris Christo à Deo datis *v. 13.* verum ab inclusivâ ad exclusivam non valet consequentia. Nos tam diu universalitati insistimus, donec evidenter contrarium probetur. Et quia textus generalis est *v. 15.* ubi dicitur Christum liberasse eos, quicunq; sive quotquot, ut Beza reddidit, metu mortis obnoxij erant servituti. Unde ita argumentamur. Qui morte suâ illos liberat, quotquot erant obnoxij servituti. Ille pro solis electis non est mortuus. Ratio est quia soli electi non erant obnoxij servituti. conf. *Gal. 4. v. 5.*

c. 7. 5. At Christus morte suâ illos liberavit, quotquot erant obnoxij servituti. Ergò pro solis electis non est mortuus, quod erat demonstrandum.

XII 29. Tandem duodecimum argumentum suppeditant nobis loca, quibus Christum pro damnatis & damnandis mortuum asseritur. 2 Pet. 2. v. 1 Hebr. 6. v. 6. c. 10. v. 26. Ex quibus locis ita colligimus: Qui mortuus est pro pseudoprophetis Christum abnegantibus, & alijs, in spiritum S. peccantibus. Ille quoq; mortuus est pro reprobis. Atqui Christus mortuus est pro pseudophetis, se abnegantibus, & aliis in spiritum S. peccantibus. Ergò mortuus est pro reprobis. Majoris consequentia inde certissima est, quod pseudo prophetæ Christum abnegantes, sibiq; celerem interitum accersentes, sine dubio fuerint reprobi, & tamen eosdem, Christum sanguine suo mercatum esse dicitur. In spiritum S. peccantes, extra controversiam reproborum numero accensentur, attamen Christus pro illis crucifixus. Aliàs malè diceretur Christum ab ijsdem denuo crucifigi, & sanguinem pacti, quo sanctificati, ab illis prophanari, & spiritum gratiæ contumeliâ affici.

30. Excipit Piscator ad locum primum, Christum pseudoprophetas, mercatum esse partim ad fidem temporariam referendum esse. Respondeo fides temporaria qua ratione efficere posset, Christum pseudoprophetas esse mercatum, si verè satisfactio pro illis præstita non esset. Ursinus enim in *Catech. p. 108.* fidem temporariam hypocritis tantum dari affirmat. Quomodo igitur ob fidem hypocriticam Christus pseudoprophetas mercatus esse diceretur! Deinde ait Piscator referendum id esse ad pseudoprophetarum professionem. Respondeo spiritus S. non loquitur de vanâ hominum professione. Sed de ipsâ veritate, quando inquit: pseudoprophetas inducere sectas pernitiosas, & dominum sese mercantem abnegare, sibiq; celerem interitum accersere. Tertio inquit ad judicium charitatis id referendum esse. Respondeo sicuti antecedentia & consequentia non referuntur ad judicium charitatis, sed ad ipsam veritatem. Similiter id quod medium occupat locum, veritatis, non solum charitatis censura est. Et sicuti infra v 18.

ὁσίως

σωτῆρος dicuntur homines aufugisse ab his, qui in errore conversantur. Ita quoq; verè Christus illos prophetas mercatus esse dicitur. Sicuti enim ad tempus Christum servatorem salutariter agnoverunt, & ab inquinamentis mundi refugerunt, & viam justitiæ cognoverunt v. 20. 21. Sic qnoq; verè Christus pro illis mortuus. Argumentum enim evidens est: Qui ad tempus per agnitionem (non generalem, ut Polanus putat, sed specialem) Domini & servatoris Jesu Christi ab inquinamentis mundi refugerunt, & viàm justitiæ cognoverunt, pro illis Christus verè mortuus fuit. At homines de quibus Petrus loquitur, ad tempus per agnitionem Domini & servatoris Jesu Christi ab inquinamentis mundi refugerunt, & viam justitiæ cognoverunt. Ergò verè pro illis Christus mortuus. Consequentia Majoris inde firmissima est, quod nemo salutariter Christum servatorem agnoscere potest, nisi per fidem. Fides verò nil aliud facit, quam ut merita à Christo acquisita sibi applicet & applicando appropriet. Invicta ergò hæc propositio. Quicunq; fide agnoscit salutariter Christum, pro illo est mortuus.

21. Ad locum secundum respondet Beza in Notis Majoribus ad N. T. particulam denuo non esse construendam cum σταυροῦντας quasi istis antea fuerit crucifixus, sed ad verbum ἀνασταυροῦντας in quo includitur. Sed textus nimis evidens est, proinde hanc glossam per se elidit. Et licet vox πάλιν referatur ad vocem ἀνασταυροῦντας, quæ tamen exigente textu, applicatur voci ἀνακαινίζειν, nihil tamen decederet sententiæ nostræ; nihil aliud enim diceretur, quam ejusmodi homines peccatis suis denuo crucifigere sibi filium Dei. Qui ergò denuo, sive rursum crucifigit sibi filium Dei, pro illo antea fuit mortuus; prius est. Ergò.

32. Ad ultimum locum vix habent adversarij quod reponant. Beza ait: Spiritum S quodammodo Dei gratiam (id est sanctificationis opus) in istis obsignare incepisse. Sed quomodo id fieri potuit, si nulla ratione Christus pro illis esset mortuus. Quod si ergò in illis peccantibus, spiritus incipit obsignare Dei gratiam, id est, supsicante Beza, sanctificationis opus, ipia flagitat necessitas, Christum pro illis esse mortuum, obsignatio namq; gratiæ, præsupponit

gratiam. Quod enim non est, obsignari nequit, cum non entis nullæ sint affectiones. Piscator explicat locum κατὰ δόξαν, verum ipsa textus ἀυτοψία illud glossema refutat, ut & explicationem Polani, sanguinem fœderis figurarè exponentis, de Sacramento Baptismi, quo à profanâ mundi multitudine segregati, homines, ad sanctæ Ecclesiæ gremium admittuntur, & visibiliter sanctificantur. Quid enim sit αἷμα τῆς διαθήκης Christus ipse satis exponit *Matt. 26. v. 28. Marc. 14. v. 24.* non opus igitur est, ut longè petitas glossas sequamur, easq; textui inferamus, qui ipsum spiritum S. interpretem habemus. Atq; hæc palmaria sententiæ nostræ sunt argumenta, ab adversariorum exceptionibus vindicata. Quæ autem contradicentium nobis sint fundamenta, quibus in rectam arduâ nituntur, futura cum Deo disputatio exponet. Hic ergò finis esto.

Apoc. 5. v. 13.

Sedenti in throno & Agno, benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in secula seculorum.

Post-

I.

POstquam superioribus disputationibus Thesis orthodoxa, meritum scilicet Christi esse universale, non pro solis tantum electis, sed & alijs in mundo hominibus præstitum, ratione instituti nostri, satis confirmata fuit, collatione hac, præcipua adversariorum nostrorum considerabimus argumenta, quibus assertioni suæ; Christum videlicet pro omnibus & singulis hominibus non satisfeciisse, sed quosdam, dicente confessione Gallicana *p. 103.* in illâ corruptione ab Adamo contractâ, relictos. Cui consentit confessio Belgica. *p. 171.* his verbis: justum verò alios in illo suo lapsu, & perditione relinquere, in quem sese ipsi præcipites dederunt. Idem sentiunt Fratres Noort-Hollandi in Actis Synodi Dordrectanæ. *p. 68. & seqq.*

2. Argumenta autem palmaria hæc sunt, quibus probare satagunt professores Belgici Christum ex consilio patris non pro reprobis & perituris, sed tantum electis efficaciter esse mortuum: 1. ex *Matt. 1. v. 21.* Antequam verò adversariorum argumentis, directè respondeamus, evolvenda erit ambiguitas, quæ latitat voce efficaciter. Nam efficacia mortis Christi consideratur vel à parte Dei, Christum pro perituris mori volentis *1. Cor. 8. v. 11. Rom. 14. v. 15. 2. Pet. 2. v. 1.* vel respectu hominum efficaciter & cum fructu, beneficijs morte Christi acquisitis fruentium. Qua acceptione non solum mortis Christi acquisitio, sed & fidelis applicatio requiritur. Priori consideratione efficaciam mortis Christi dicimus respectu acquisitionis universalem esse, qua Deus pater voluit filium, redimere totum mundum, per Adamum corruptum. *Rom. 5. v. 19.* Sicuti ergò Evangelium, quod dicente Synodo Dordrectana. *p. 156.* indiscriminatim annuntiandum, seriò & ex consilio patris, efficax est in se, licet in omnibus individuis illa efficacia, sese non exerat. Nam semen spirituale licet efficaciam sibi divinitus inditam habeat; non ubivis tamen locorum fructificat *Luc. 8. v. 5. & seqq.* Haud

aliter de mortis Christi efficaciâ, quam Evangelium annuntiat, dicendum erit.

3. Quod si juxta secundam acceptionem, Christum pro electis tantum efficaciter esse mortuum dicam, id est, explicante *Parao in Iren. p. 142.* λύτρου efficacia, fructus & applicatio, refertur solum ad electos. Adversarij nos non, modo sobria fit explicatio, ὑπαλλάξει non continens, habebunt contradicentes. Res ipsa enim proh dolor testatur efficaciam mortis Christi, applicativè consideratam, culpâ hominum esse particularem, cum plures non obediant Evangelio Domini nostri Jesu Christi *2. Thes. 1. v 8.* Utpote illud malitiosè rejicientes *Act. 13. v. 46.* Unde salvandi dicuntur pauci: damnandi verò multi, *Matth. 7. v. 13. 14.* & multi vocati, pauci electi. *Matth. 22. v. 14.*

4. Præmissa vocis efficaciæ evolutione ad locum *Matth. 1. v. 21.* respondemus, non agi ibidem de mortis Christi objecto adæquato, sed tantum fructu & operatione actuali, ut sensus sit; Filius Mariæ est Jesus, quia sicuti Josua liberavit populum suum corporaliter, unde & Jesus dicitur *Act. 7. v. 45. Hebr. 4. v. 8.* Ita hic Jesus ipso actu & opere, se servatorem populi sui præstabit, liberando eundem, non ab inimicis terrenis ac hostibus corporalibus, sed spiritualibus *Luc. 1. v. 74.* Quæ verò sequela; fructus meriti Christi, seu actualis salvatio, culpâ hominum, meritum Christi ejusq; vim rejicientium est particularis. Ergò meritum Christi respectu acquisitionis consideratum tale est! perinde si quis ita inferat: verbi Dei in cœtu aliquo annunciati particularis est operario. vide præter experientiam *Act. 17. v. 4. 5. 32. 33. 34.* Ergò illud verbum in se consideratum habet vim ex parte suâ singularem. Idem est & manet verbum, efficaciam suam retinens, licet non prosit impijs, fide salvifica carentibus. *Hebr. 4. v. 2.* Ita mors Christi, quamvis solis pijs ac finaliter credentibus tantum prosit. Interim tamen malâ consequentiâ infertur, eandem pro ijsdem solùm præstitam. Quod ex sententia damnatoria impiorum liquido constat. *Joh. 3. v. 19.* cum enim quæritur cur impij damnantur? nullibi scriptura dicit: quia Christus pro illis non est mortuus. Sed hæc est constans scripturæ senten-

sententia: Dominus Jesus de cœlo infliget ultionem ijs, qui non noverunt Deum, & qui non obediunt Evangelio Domini nostri Jesu Christi 2. Thess. 1. v. 7. 8. ac seipsos indignos reddunt vitâ æternâ, repellendo verbum DEI de Christo crucifixo Act. 13. v. 46. Et cum Paulus in suo conducto concionaretur ex lege Mosi & prophetis de Jesu usq; ad vesperam, quidam Judæorum doctrinæ illi astipulabantur, credentes his quæ dicebantur, quidam verò non credebant. Act. 28. v. 24. debebant ergò credere in Christum crucifixum. Quod si verum, Christus utiq; pro illis est mortuus. Id enim si non esset factum, quomodo invitari potuissent impij, ut in Christum credant, id est, ut mortis Christi efficaciam verâ fide sibi approprient. Quod enim ex intentione Dei patris pro impijs non est præstitum. Ad id credendum, mandante Deo, non possunt invitari impij. At mors Christi, ex sententiâ adversariorum, pro impijs non est præstita. Ergò impij non possunt ex mandato DEI invitari ad mortis Christi participationem. Aliàs ad rem fictam & falsam invitarentur. Videmus autem scripturam omnes adhortari, ut resipiscant, & in Christum credant Act. 17. v. 30. Col. 1. v. 23. invictè igitur inferimus: Christum pro impijs & pereuntibus esse mortuum. Proinde ut jam responsa contrahamus, breviter dicimus: Salvationis particularitas mortis Christi singularitatem non infert. Corruit ergo quod subjungitur; si Christus est Salvator omnium populorum ex æquo, frustra addit angelus: populum suum. Christus enim est Salvator omnium 1. Tim. 4. v. 10. quo ad λύτρον solutionem. Est Salvator tantum populi sui, quo ad λύτρου applicationem.

1. Sed regerit Piscat. in Matt. hoc modo; Jesus servat duobus modis: merito & efficacia, quia meritus est electis apud Deum remissionem peccatorũ, & per spiritum S. & prædicationem Evangelij efficit in illis fidem. Respondeo, ex præcedentibus disputationibus tum & antea responsis abunde patet, Piscatorem cum complicibus principiũ petere; meritum namq; Christi, illiusq; efficaciam ratione acquisitionis consideratam, non solos respicere electos, ex antea dictis abundè patet, modò quis oculos suos spirituales malitiosè non claudat. Ut de Judæis dicitur. Act. 28. v. 27. Atqui tantum de primo loco.

6. 2. Producunt dicti professores locum *Joh. 10. v. 15.* ubi Christus animam pro ovibus, nempe propijs, ut collatione probant. *v. 11. 14. & 14.* ponere dicitur. Locus hic Syllogismo inclusus talis erit. Qui ponit animam pro ovibus, ille non ponit animam pro hircis. Atqui vi allegati loci, Christus animam posuit pro ovibus. Ergò animam non posuit pro hircis. Et addunt infra: si Christus posuit animam suam æqualiter pro omnibus, frustra dixit Christus: pro ovibus proprijs. Respondeo si Christus exclusivâ particulâ usus fuisset, tum argumentum objectum robur haberet. At quia nudè dicitur: Christus animam ponit pro ovibus, hinc non colligo pro illis solis id factum esse, ut ex præcedentibus disputationibus liquido constat. Proinde ab inclusiva ad exclusivam N. V. C. ut ex alijs quoq; scripturæ locis constat vide *Joh. 6. v. 40. c. 20. v. 1. 2 Cor. 11. v. 3. Hebr. 9. v. 28. Gal. 2. v. 20. &* passim.

7. Wendelinus *cap. 12.* de prædestinat. *pag. 53.* excipit: si Christus pro omnibus promiscuè, sine discrimine voluisset mori, quid quæso opus fuisse mortem ejus ad objectum particulare restringere. Respondeo, cur Christus in præsenti loco mortem ad objectum nobilius, non verò adæquatum referat, ex ipso contextu liquet. Loquitur enim de ovibus obedientibus, pastorem sequentibus, ac illius vocem audientibus, quibus vitam æternam daturus sit Christus. De illis autem dicitur: Christum posuisse animam, id est vitam. vide *Matth. 2. 20. c. 20. v. 39. Joh. 13. v. 37.* pro illis. Num hinc exclusiva inferri potest? negat hoc Petrus 2 *Epist. c. 2. v. 1.* quo loco Apostolus non loquitur exponente Wendelino de prædestinat. *p. 79.* ex confessione & jactantiâ hæreticorum, neq; ex aliorum opinione. nullum enim vestigium hujus expositionis extat in textu. Neq; juvat Wendelinum, Petrum de verâ redemptione non loqui quos enim verè Christus redemerit, eos Christi tanquam pastoris sui vocem audire, à pastore agnosci, & æternâ vitâ donari. At confundit Wendelinus redemptionis acquisitionem, cum applicatione. Multi per Christum redempti, qui tamen usum & fructum redemptionis non percipiunt, conf. *Matth. 22. v. 3. & seqq. Luc. 14. v. 16. 17. 18. &.*

8. Rege-

8. Regerit Wendelinus *p. 50.* distinctionem hanc esse ineptissimam & Christo contumeliosam, Id tribus rationibus probat, quas ordine videbimus: 1. quia Christus nemini salutem impetret, quin eandem quoq; tandem possidendam conferat. Respondeo. Confunditur divina ad salvandum propensio à parte Dei universalis, cum actuali salutis collatione vitio hominum particulari. Christus multis salutem merito suo acquisivit, sed plurimis salus non confertur, quia semetipsos vitâ æternâ reddunt indignos *Act. 13. v. 46.* Christus per verbum & spiritum S pulsat ostium. *Apoc. 3. v. 20.* sed plures verbo contradicunt *Act. 18. v. 6.* & spiritui sancto resistunt *Act. 7. v. 51.* ne convertantur *Matth. 13. v. 15.* Proinde hæc infirma est illatio: Salus non omnibus possidenda confertur. Ergò Christus illam non impetravit omnibus. 2. dicit Wendelinus impetrationem sine applicatione esse frustraneam, & fine suo excidere. Ideo enim acquiri bona, ut possideantur & applicentur, Et imprudentis & impotentis esse excidere suo fine. Respondeo si intentionem & consilium Dei considero, verè propterea Christus mortuus est, ut beneficia morte ejus acquisita omnibus applicentur. Quod verò non omnibus applicantur hominibus, causa non est in meriti Christi particularitate, sed potius hominum fructum meriti Christi rejicientium malitia, quærenda. Lux, id est Christus *Joh. 1. v. 9.* in mundum venit, ut servetur mundus per eum, sed dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem, quia opera illorum erant mala, hinc damnabitur mundus impius, quia non credidit (itaq; credere debuit) in nomen unigeniti filij *Joh. 3. v. 17. 18. 19.*

9. Inquis: ergone frustra Christus mortuus est, quia meritum ipsius impijs non applicatur. Respondeo nequaquam. 1. enim Deus suum etiam erga impios amorem, dando filium in mortem, contestatus est. *Joh. 3. v. 16* 2. impij in extremo die reddentur ἀναπολόγητοι, quod tantam redemptionem sanguine filij Dei acquisitam neglexerunt. conf. *Joh. 15. v. 24.* Sicuti ergò affirmare fas non est: Pharisæi spreverunt consilium Dei adversus semetipsos, non baptizati à Johanne *Luc. 7. v. 30.* Ergò Deus frustratus est suo fine. Ita & hoc loco &c. Neq; hinc quædam infertur aut imprudentia,

sive

sive etiam impotentia, cum Deus in salute nostrâ non agat secundum potentiam absolutam, sed ordinatam, vult igitur merito Christi omnes salvari, sed requirit in applicatione fidem. vide *Joh. 8. v. 31. Act. 6. v. 31.* cur igitur non omnes merito Christi salventur, ratio est; quia medium à parte nostrâ apprehendens, fidem scilicet negligunt. Quod si absolutè sine ullâ conditione Deus meritum Christi prodesse vellet; nec tamen omnibus applicaretur, tum objecto Wendelini obtineret. Musculus Dusanus in loco de Remiss. peccat. p. 178. Discernendum esse ait, inter eam Dei gratiam quæ nullas habet adjectas condiriones: & eam quæ conditionaliter confertur. Posterior licet in Deo sit firma & constans, nostro tamen vitio irrita redditur, dum conditionibus illius non stamus, hactenus Musculus.

10. 3. Excipit Wendelinus, quæ causa sit, quod Christus sit intercessor infidelium ad solam impetrationem, & non ad applicationem quoq; ? Respondeo in præcedentibus dictum, culpam illam in solis residere impijs, Christum à se rejicientibus. Hinc meriti à Christo acquisiti fructum non participant. Dicis, cur non ob eandem causam, negetur beneficiorum Christi impetratio, cum dicente Wendelino, impetratio sit laboriosior & difficilior, quam applicatio. Respondeo nos hac in materiâ non respicimus impetrationis difficultatem, sed dictorum scripturæ veritatem. Testatur enim scriptura ἱλασμὸν & Christum non particularem, sed totius mundi universalem esse redemptorem *Joh. 4. v. 42. c. 12. v. 47. 1. Joh. 2. v. 2. c. 4. v. 14.* Unde quotquot in mundo damnantur impij, propterea damnantur, quod hunc redemptorem agnoscere recusarunt, Oportet ergò quoddam fuisse fundamentum in Christo, ratione salutis acquisitæ. Pone enim cum Wendelino & complicibus, Christum pro impijs respectu meriti acquisiti non satisfeciisse, quomodo ijdem damnari possunt ob Christum rejectum, quibus nunquam Christus est datus. Qui rejicit me nec accipit verba mea, habet qui judicet ipsum, inquit Christus *Joh 12. v. 48.* Nec alicujus commatis est, quod subjungitur à Wendelino, fidelitatem non posse esse causam non factæ applicationis cum illa sola Dei gratia curanda in omni-

omnibus fuerit hominibus. Respondeo confunditur infidelitas originalis, omnibus æqualiter inhærens hominibus, cum infidelitate actuali & hostili malitiâ conjuncta, & per peccatum regnans aggravata, de qua dicitur *Neh. 9. v. 16.* patres induraverunt cervices suas & non audierunt, renuerunt accipere disciplinam *Jer. 5. v. 3.* ut non audirent sermones Jehovæ *Jer. 19. v. 15.* sed spiritui S. ἀντιπίπτειν contra jacent, vel ut Beza & Piscator loquuntur, obnituntur. Unde Bulingerus in locum *Act. 7. v. 51.* inquit verbum ἀντιπίπτειν miram habet elegantiam. Qui igitur toto nisu spiritui sancto resistunt, illi operationem ejusdem impediunt. Causa ergo cur in his potius, quam in illis curare decreverit Deus infidelitatem, non opus est ut cum Wendelino ad absolutam Dei εὐδοκίαν scripturis ignotam recurramus, sed potius in peccantium perversis moribus, & obstinatâ malitiâ prævia scriptura quæramus. conf. *2. Reg. 17. v. 13, 14. 2. par. 36. v. 15. 16. Jer. 25, v. 6. 7.* & passim. Hactenus de secundo professorum Belgicorum loco satis dictum.

II. 3 Proferunt locum *Act. 20. v. 28.* ubi pastoribus Ephesinis commendat Paulus peculiariter curam Ecclesiæ, quam Deus proprio suo sanguine acquisivit & conjungunt dictum *Ephes. 5. v. 25.* ubi Christum pro Ecclesia semetipsum tradidisse dicitur. Et addunt rationem: si Christus emit suo sanguine omnes & singulos homines, nullam vim argumenti habet, quod Paulus addit: quam suo sanguine acquisivit. Item, si Christus ex æquali amore se tradidit pro omnibus in mortem, mariti non magis suas quam alienas uxores diligere debebunt, syllogismus talis esset: Qui proprio sanguine acquirit Ecclesiam & semetipsum tradit pro eâ, ut illam sanctificet, ille non pro omnibus mortem subijt. Atqui Christus proprio sanguine acquisivit Ecclesiam, & semetipsum tradidit pro eâ, ut illam sanctificet. Ergò non pro omnibus mortem subijt.

12. Respondeo committi in his argumentationibus errorem antea monstratum, ubi ab unius rei conclusione ad alterius exclusionem argumentum formabatur. Quæ colligendi ratio cum sit valde infirma, imò falsa, nihil veri infert. Et subolfecerunt

harum illationum auctores, illis hoc responsum oppositum iri, proinde ad illud avertendum, subjungunt; etsi vox *solus* in his locis non extet; tamen rebus per verba significatis inclusa est, aut omnem efficaciam, & argumentandi vim ex verbis illis tolli necesse esse. Respondeo, acceptamus libenter vocem *solus* non extare allegatis locis. Quod additur illam rebus per verba significatis includi, negamus; quippe cum nulla hujus exclusionis extent vestigia. Neq; metuendum est, omnem efficaciam & argumentandi vim, ex verbis illis tolli, nisi addatur particula *solus*. Nam vis illationis non præcisè in Christi merito, ratione nudæ acquisitionis considerato consistit, sed imprimis de usu, fructu & applicatione illius meriti, locis allegatis agitur. Rectè ergò infert Apostolus: habete curem Ecclesiæ Dei, illam enim Sanguine filij sui non solum redemit, sed & illa beneficium hoc per spiritum sanctum gratâ mente agnoscit, & stolam suam sanguine agni dealbat, *Apoc. 7. v. 14.* ideo specialiter Christus illam diligit. Quæ verò consequentia: Christus Ecclesiam beneficia sua agnoscentem, eaq; fideli manu sibi appropriantem, speciali dilectione amplectitur, ideo specialem illius curam injungit Ecclesiæ ministris, ne merx tam carè empta Deo, pastorum pereat negligentiâ. Ergo tantum meritum Christi pro pijs solutum! Anne illa restrictio repugnat alijs scripturæ locis præcedentibus disputationibus citatis? imprimis loco Paulino, *Rom. 5. v. 18. 19.* perpetuò ergò in hac materiâ scriptura distinguit meriti Christi acquisitionem, omnibus etiam damnandis impetratam; ab ejusdem, fide manu factâ applicatione. Quæ licet vitio & culpâ hominum particularis; hinc tamen acquisitionis meriti particularitas non infertur.

13. Quod si vox Ecclesiæ, ut ipse contextus videtur innuere, pro cœtu sumatur visibili, cui non renati & hypocritæ, consentientes tamen in doctrinâ & ritibus externis admixti, ut loquitur Ursin. in Catech. Tum locus contra adversarios militat; Loquitur enim Apostolus de cuncto grege Episcoporum illorum curæ commisso. Attendite vobis, inquit, πάντι ποιμνίῳ. Jam vero in Ecclesiâ Ephesinâ multi fuerunt spiritum sanctum contristantes *Eph. 4. v. 30*

de qu

de quibus Apostolus spiritu prophetico plenus prædicit, ingressuros post discessum suum lupos graves, seu falsos doctores non parcentes gregi, sed abducentes discipulos post se. Quæ verba de verè electis non tantum intelligenda. Unde Gualterus in h. l, ait: omnium hominum cura ad ministros pertinet, Proinde non licet aliquem negligere. Cogitent in magnâ domo vasa varia esse, quæ omnia curari vult paterfamilias, 2. Tim. 2. v. 20. juxta hanc sententiam voce Ecclesiæ non denotantur tantum verè pij & fideles, sed & alij, nomine non re Christiani. Utra ergò explicatio assumatur, adversarij parum, imo nihil subsidij inde habent, sicuti ἄνευ πρεκρίματος judicanti obvium.

14. 4 Adducitur locus Apoc. 5. v. 9. ubi Ecclesia militans ait: tu mactatus es & emisti nos Deo, per proprium sanguinem tuum, ex omni familiâ & linguâ, ubi urgetur phrasis ex omni familiâ, si enim Christus ex æquali amore se tradidisset pro omnibus in mortem, nec emptus dici potest ex omni populo, si reliqui non minus quam ipsi empti. Vis argumenti hæc est. Qui emit aliquos ex populo, ille non omnes redemit. At Christus emit aliquos ex populo. Ergò, Respondeo, agitur allegato loco de beneficio redemptionis consummato, quod gloriosam in vitam æternam introductionem complectitur. Ecclesia enim triumphans introducitur magnâ cum devotione ac reverentiâ beneficium consummatæ redemptionis agnoscens. Quæ verò consequentia: Ecclesia triumphans usum & fructum mortis Christi reapse sentiens, beneficium illud agnoscit & grata deprædicat. Ergò Christus tantum pro illâ mortuus? Negatio enim usus, fructus, seu applicationis, non infert inficiationem meriti à parte Dei considerati, & pro omnibus hominibus præstiti. Unde ipse Pareus in h. l. ait: observemus secundo redemptionem sanguine Christi factam verè universalem esse, non uni solum genti vel paucis, sed Universis populis linguis & nationibus sufficientem atque propositam. Quamvis verò malâ explicatione verba illa possint corrumpi; Sufficiat tamen, quod verba nudè posita sententiam nostram confirment. Unde in Irenico p. 142. ait: quod Christus pro solis electis satisfecerit, est falsa

accusatio, omnium peccata Christus portavit, delevit, expiavit, si magnitudinem pretij seu λυτρου sufficientiam spectamus. Marloratus quoq; in locum Apocalypticum inquit: non est Christus temerè passus, sed ut nos, qui prius eramus Diaboli mancipia redimeret, & perditos servaret. Venit enim filius hominis quærere, & salvum facere quod perierat. *Luc. 19. v. 10.* Qui ergò redemit Diaboli mancipia & perditos servat, salvosq; facit eos qui (in Adamo scilicet) perierunt: Ille non solum mortuus pro glorificatis. At prius est verum, juxta Marloratum. Ergò & posterius Consequentiæ ratio hæc est: quia glorificati non solum fuerunt Diaboli mancipia, nec perditi tantum, sed totum genus humanum in Adamo primo perijt, & in Adamo secundo, ratione acquisitionis, vitam recuperavit 1. *Cor. 15. v. 22.*

15. Deinde producunt ptofessores antea nominati hoc argumentum: Pro quibus Christus efficaciter est mortuus, eorum loco tanquam sponsor est, id est, sic pro ijs est mortuus, ut eos à reatu mortis liberet. At reproborum loco tanquam sponsor non est mortuus, id est, pro his sic non est mortuus, ut eos à reatu mortis liberet. Minorem certam esse dicunt, aliàs enim à Deo puniri illi justè non possent, cum Deus unum peccatum punire bis non posset, semel in Christo, semel in pereuntibus, à quibus ad ultimum usq; quadrantem debitum suum exigit, *Matth. 5. v. 26.*

16. Respondeo ad Majorem distinctione inter liberationem à reatu acquisitam, & inter eandem verâ fide applicatam. Christus quia est oecumenicus redemptor pro omnibus, hominibus metu mortis servituti obnoxijs mortem gustans *Hebr. 2. v. 15.* est σωτηρ servator omnium hominum 1. *Tim. 4. v. 10.* utpote propterea in mundum veniens adventu scilicet primo, ut etiam mundum incredulum servaret, *Joh. 12. v. 47.* venit enim servare, quod perierat, *Matth. 18. v. 11.* hinc in specie pro pereuntibus quoq; Christum mortuum esse scriptura testatur. *Rom. 14. v. 16. 1. Cor. 8. v. 11. Hebr. 6. v. 4. 5.* liberatio itaq; à reatu ratione meriti acquisiti considerata, omnibus hominibus tam impijs quam pijs communis est, nec hoc respectu ulla datur pijs præ impijs prærogativa. Quatenus

tenus verò liberatio à reatu mortis, respectu applicationis manu fidei factæ, perpenditur, soli pij finaliter in Christum credentes à reatu mortis liberantur, illi enim mortis Christi beneficium applicatione faciunt *suum*. Unde ex Paulo dicunt: Christus dilexit *me*, & semetipsum tradidit pro *me*. *Gal. 2. v. 20.* Item: reposita mihi coronana justitiæ 2. *Tim. 4. v. 8.*

17. Ex hactenus dictis abunde constat Minorem sine ulla limitatione intellectam falsam esse, qua ratione enim & quo respectu reprobi à reatu mortis liberati, paulo ante dictum. Neq; obstat ratio Minori addita; reprobos scilicet à Deo justè puniri non posse, cum Deus unum peccatum bis punire non posset, semel in Christo, semel in peeuntibus. Respondeo Deus punit reprobos æterno supplicio, *Matth. 25. v. 46.* quia Evangelio Domini nostri Jesu Christi non obediunt, *2. Thes. 1. v. 8.* sive, quia semetipsos æterna vita indiguos, judicant. *Act. 13. v. 46.* & Christum salutis auctorpm non recipiunt, *Joh. 1. v. 11.* sed illum potius in credulitate reijciunt, *Joh. 12. v. 48.* Hinc videmus Deum, salva justitia, peccatum, quod in filio punivit, & in reprobis Christum cum beneficijs repellentibus punire posse. Quippe cum nolint impij Christum reijcientes, fructu meriti Christi fieri participes. Hoc attendens scriptura causam dumnationis impiorum ratione proximi termini, non peccata, pro illis enim Christus satisfecit, sed solam incredulitatem Christum cum beneficijs reijcientem constitut *Joh. 3. v. 18. & 16. v. 9. Mar. 16. v. 16.* Licet itaq; Christus & pro reprobis factus sit maledictio, & peccatum ac illorum morbis spirituales, æque ut priorum pertulerit; perinde tamen est, si fructum spectemus, quasi Christus nunquam pro illis esset mortuus, cum obstante propria incredulitate, Christum repellente, nihil inde ferant utilitatis.

18 Tertiò ita colligunt: Quibus promissiones veteris Testamenti de Christo in mortem tradendo, & fructu ac beneficijs salutaribus per eum ad Ecclesiam reipsa redituris sunt factæ, pro illis solis efficaciter, est mortuus. At solis electis hæ promissiones sunt factæ. Ergò Minorem à Paulo *Rom. 9. v. 7. 8.*

probari ajunt, ubi soli filij promissionis censentur in semine, ad quos verbum illud de æternæ hæreditatis possessione pertinet. Et *cap. 11. v. 7.* electi assecuti sunt, quod Israël quærit, reliqui occal luerunt.

19 Respondeo 1. ad Majorem, ambiguitatem esse in voce efficaciter, de qua *Thes. 2. & 3.* dictum. 2. confunduntur promissiones V. T. à parte Dei consideratæ cum earundem fructu, ac spiritualibus beneficijs, quatenus scilicet promissiones fide applicantur, priori respectu ipse largitur Pareus in Irenico *p. 142.* promissiones gratiæ esse universales ac pertinere ad omnes, quoad prædicationem, invitationem & mandatum credendi. Ad solos verò credentes, quoad applicationem efficaciam & fructum. Idem & nos dicimus. Utinam autem adversarij hujus distinctionis essent memores, tum controversia hæc facilius componeretur.

20. Quod syllogismi Minorem attinet, promissiones solis electis factas, quia soli filij promissionis censeantur in semine. Respond. promissio Abrahæ data à parte Dei promittentis est Universalis; dicitur enim *Gen. 12. v. 3.* וְנִבְרְכוּ בְךָ כֹּל מִשְׁפְּחֹת הָאֲדָמָה benedicentur in te omnes familiæ terræ, sive *ut c. 18. v. 18.* dicitur כֹּל גּוֹיֵי הָאָרֶץ omnes gentes terræ, Apostolus hæc verba repetens *Gal. 3. v. 8.* πάντα τὰ ἔθνη benedictum iri, ratione scilicet benedictionis acquisitæ, affirmat. Verum Paulus *in Epist. Rom. 4.* non loquitur præcisè de promissionis acquisitione, sed applicatione, ut ex v 32. constat. Sensus itaq; simplicissimus est: Judæos carnaliter ex Abrahami prosapiâ ortos, non omnes esse veros Israëlitas, *Joh. 1. v. 47.* sicuti gloriabantur *Joh. 8. v. 39. 2. Cor. 11. v. 22. Phil. 3. v. 4.* verum qui insistunt vestigijs fidei Abrahamicæ *Rom. 4. v. 12.* illos esse filios in quibus ratione usus & applicationis promissiones Abrahamo datæ implerentur *Gal. 3. v. 9.* Quæ verò consequentia: promissiones Abrahamo factæ applicationis respectu solis credentibus, datæ. Ergò Christus nullâ ratione pro impijs mortuus. Paulus hanc conclusionem non format, sed potius pro impijs Judæis preces ad Deum fundit. *Rom. 10. v. 1.* sperans se non nullos salvaturum

vaturum c. 11. v. 14. fieri enim posse, ut qui incredulitate gratiâ Dei exciderunt, denuo Christo veræ scilicet oleæ inserantur. v. 23. Finge jam cum adversarijs Christum pro impijs nullâ ratione mortuum, quomodo Apostolus spem conversionis concipere potest de hominibus, quorum Christus non est redemptor.

21. Quarto producuntur loca scripturæ *Joh. 11. v. 51. Rom. 8. v. 32, 34. Hebr. 2. v. 10. 12. Heb. 9. v. 12. 15.* In his locis aperte dici, ajunt, mortem Christi ad electos & credentes restringi, & singularem finem morientis Christi fuisse, ut filios Dei & pueros sibi à Patre datos morte suâ liberaret. Respond. loca allegata meritum Christi à parte Dei ratione acquisitionis consideratum non restringunt: sed quædam tantùm nobile ejus, non verò adæquatum objectum monstrant. In specie *Joh. 11, v. 51.* nihil aliud dicitur, quam Christum moriturum pro gente Judaica, ex qua tamen plurimi Christum rejecerunt. *Jeh. 1. v. 11. Rom. 10. v. 21.* hinc lapsus illorum divitiæ sunt gentium *Rom. 11. v. 12.* Christus ergò non pro Judæis solùm, sed & gentibus mortuus. In descriptione autem gentium, filiorum Dei, tanquam nobilis meriti Christi objecti in specie fit mentio. Hinc verò malè infertur: Christum tantum pro filijs Dei futuris mortuum, cum contrarium alibi scriptura διαρρήδην exponat, ut th. 16. dictum.

22. Locus *Hbr. 2. v. 10.* non id concludit, Christum tantum pro electis mortem subijsse, cum expresse dicatur mortuum esse Christum pro omnibus, servituti scilicet spirituali subjectis *v. 9. 15.* Item: Christum aboleviisse opera diaboli *v. 14. 1 Joh. 3. v. 8.* cum plerorumq; peccata ex adversariorum sententia non portarit. Qui ergò abolet Diabolum, ille quoq; ratione λύτρου & satisfactionis, tollit peccata impiorum. Prius dicitur de Christo. Ergò Licet itaq; credentes, utpote per gratiam filij Dei adoptivi *Rom. 8. v. 15. 16. Gal. 3. v. 16.* solùm introducantur in gloriam futuram. Inde tamen Christum pro illis tantum mortuum malè concluditur.

23. *Hebr. 9. v. 12.* mentio fit æternæ redemptionis, quod explicante

cante ipso Pareo in h. l. de vi & efficaciâ quæ ab initio mundi, usq; ad finem sese extendit, & deinde de immensitate vigoris intelligendum. Quamvis ergò impij, obstante propriâ malitiâ, vigoris hujus & efficaciæ non fiant participes; inde tamen malè ipsa negatur satisfactio pro omnibus hominibus præstita. Unde vi veritatis coactus ipse *Musculum l. c. ait p. 284.* gratia remissionis peccatorum destinata est mortalibus omnibus, ut omni creaturæ est annuntiandum Evangelium. Et addit: Quemadmodum concluſit Deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur: ita vult gratiam hanc misericordiæ proponi omnibus.

24. Argumentum 5. formant ex ijs locis, in quibus mors Christi cum ipsa redemptione necessario nexu conjungitur *Hebr. 9. v. 26. 28. c. 10. v. 10, 14.* Responsio ex præcedentibus peti potest, ubi sæpius distinctum inter redemptionem à parte Christi acquisitam, & eandem à parte hominum, verâ fide applicatam. Quando Christus dicitur tollere & abolere peccata ipsa universalis satisfactio exprimitur, inde *Joh. 1. v. 29.* dicitur Christus agnus Dei tollere peccata *mundi*; quia est propitiatio non solum pro peccatis credentium, sed & totius mundi 1. *Joh. 2. v.* cæterum, cum dicitur *Heb. 10. v. 14.* Christum unicâ oblatione perfectos reddidisse in perpetuum eos qui sanctificantur, res ipsa loquitur de meriti Christi applicatione solis sanctificatis tribuenda sermonem esse. Quæ tamen ipsam λυτρωσιν Christi Universalitatem non tollit. Unde Pareus in h. l. ait, licet mens verbis non respondeat: distinctio est nata, Christi λύτρον valere pro omnibus absolutè, quo ad sufficientiam seu amplitudinem pretij.

25. Argumentum 6. profertur ex locis, in quibus mors Christi, & ejus efficacia, ad solos Nov. Testamenti hæredes pertinere dicitur, quorum cordibus nova lex inscribitur, & quorum peccata remittuntur, ita ut non amplius in recordationem veniant. *Hebr. 9. v. 15. c. 10. v. 16. & ad Gal. 3. v. 16, 17.* promissiones fœderis Abrahamo factas, & semini ejus per Christum confirmatas esse dicitur. Responsio eadem sæpius ante data, hoc loco repetenda venit, ubi mortis Christi in se consideratæ Universalitas, ab usu & fructu sive

particu-

particularitate ejusdem fuit distincta. Lubentes ergò largimur mortis Christi efficaciam, ad solos vitæ æternæ hæredes pertinere, quorum cordibus lex nova inscripta. Numneptopterea τὸ κεχυ-μένον; Christum scilicet pro omnibus esse mortuum negatur? promissiones Abrahamo datas, per Christum confirmatas concedimus; novimus enim idem dici à Paulo 2. Cor. 1. v. 20. sed colligantur termini: promissiones in Christo sunt certæ ac firmæ. Ergo Christus pro solis satisfecit pijs & credentibus. A diversis ergò mala fit illatio.

26. Argumentum 7. desumunt ex locis ubi Christus dicitur pro solis electis & credentibus intercedere *Joh. 17. v. 9.* non oro pro mundo *Hebr. 9. v. 24.* Christus comparet in conspectu Dei pro nobis *1. Joh 2. v. 2.* advocatum habemus apud patrem, & ipse est propitiatio pro peccatis nostris. Pro quibus ergò Christus tantum intercedit, pro illis solis est mortuus. Atqui pro electis tantum intercedit. Ergo pro illis solis est mortuus. Respondeo confunditur oratio Christi generalis cum speciali, quâ Christus singulariter orat, non pro mundo impio verbum Dei fastidiente, sed pijs verâ fide in se credentibus. Horum specialem habet curam, proinde eos singulariter patri commendat. Quia enim non erant de mundo, ideo mundus illos odio prosequebatur *Joh. 15. v. 19.* ut ergò pater cæleſtis illos à Malo, Diabolo scilicet ejusq; assectis servet, Christus oratione hac intendit. Id considerans Marlorat. in h. l. ait: precationis autem quæ hic refertur, alia fuit quædam specialis ratio. Quamvis igitur hoc modo speciali, Christus pro impio mundo non orarit, sed debitâ pœnâ ingratitudinem & contemptum ejus vindicante hac ratione affecerit; inde tamen minimè sequitur: Christum oratione generali pro impijs preces non fudisse, contrarium enim testatur Lucas *c. 23. v. 34.* ad quem locum quærens Gualterus, pro quibus Christus oret? respondet pro ijs à quibus crucifigebatur. Illos autem omnes esse electos quis affirmaret! Et Marlorat, ex Bullingero ait. in *1. Tim. 2.* Christianorum, est imitari exemplum Jesu Christi, filij Dei, qui pro persecutoribus oravit Et Calvin. ait comment. in *1. Tim. 2.* non pro fidelibus modo, sed pro uni-

versò genere humano fundendas esse preces. Et subjungit nonnullos ita secum reputare potuisse; cur de infidelium salute essemus solliciti, quibus cum nihil nobis est necessitudinis? Nonne satis est, si fratres pro fratribus mutuo oremus, ac commendemus Deo totam suam Ecclesiam? nihil enim ad nos extranei. Huic sinistræ opinioni occurrit Paulus ac jubet Ephesios suis precibus complecti omnes mortales, nec eas ad corpus Ecclesiæ restringere. Marlorat, in locum *Joh. 17.* inquit: pro omnium salute oramus, quos cognoscimus ad imaginem Dei creatos esse, & quibus nobiscum eadem natura est. Pro quibus ergò nos debemus orare, pro illis quoq; Christus preces fudit. At nos pro omnibus hominibus debemus orare. Ergo. pro illis quoq; Christus preces fudit. Major ex conformatione Christi ac Christianorum patet. conf. *Matt. 5. v. 45. 48. Phil. 2. 7. 8.* Neq; enim existimandum est, nostram erga homines charitatem, ipsius Christi dilectione esse majorem, conf. *Luc. 6. v. 36.* Argumentum ergò nobis objectum invertimus hoc modo. Pro quibus Christus oravit, pro illis quoq; morte suâ satisfecit. At pro impijs crucifixoribus Christus oravit. Ergò pro illis morte suâ satisfecit. Item: pro quibus nos debemus orare, pro illis & Christus oravit. At pro omnibus hominibus nos debemus orare. Ergò & Christus pro ijs oravit.

27. Tandem argumentum 8. formant, quia reprobos Christus nunquam novit *Matth. 7. v. 23.* eorum non miseretur sed eosdem odio habet. *Rom. 9. v. 13. 18.* omnes occallescunt *Rom. 11. v. 7.* quæ omnia, dicunt, ut quam molhissimè fieri potest explicentur; tamen demonstrant Christum proprie, & ex amores summo, ac cum proposito salvandi, pro solis electis esse mortuum. Robur argumenti hoc est: Quos Christus nunquam novit, quorum non miseretur, sed illos odit & qui occallescunt, pro illis Christus non est mortuus. At reprobos Christus nunquam novit, eorum non miseretur, sed odit, &c. Ergò, pro illis non est mortuus. Respond. agit Christus *Matth. 7.* de hypocritis. De illis ait: nunquam novi vos, id est, pro genuinis meis discipulis vos non habui, vestras actiones non probavi. Solent enim frequenter in

sacris

sacris literis verba notitiæ significare, non nudam scientiam speculativam, sed practicam cum interioribus animi motibus conjunctam. Sic *Psal. 1. v. 6.* Deus dicitur nosse, id est approbare, viam justorum. Ergò à contrario, impiorum viam non novit, id est non probat. conf. *Rom. 7. v. 15. 1. Johan. 3. v. 1. Johan. 1. v. 10. 1. 8. v. 43. 1. 10. v. 15.* Quæ verò consequentia: Christus hypocritarum, ore non corde sibi appropinquantium *Esa. 29. v. 13. Matt. 15. v. 8* mores & actiones non probat. Jehova enim non [illegible]t id, quod homo spectare solet, quod est ob oculos, sed spec[illegible]d est in animo 1. *Sam. 16. v. 8.* Ergò Christus pro hypocritis [illegible] est mortuus. Scriptura sacra utrumq; affirmat. Itaq; nos verbum Dei sequentes idem facimus. Exemplum proditoris Judæ rem hanc illustrabit. Pessimus ille erat hypocrita, sicuti Evangelistarum docent monumenta, posteritati relicta, proinde Christus Judam hunc non novit, id est, actiones illius non probavit, interim finit accipere inter innocentes discipulos, quod fideles norunt pretium suum, ut prævia scripturâ loquitur *August. Epist. 61.* adversus Donatistas. Qui ergo in sactâ cænâ sacramentaliter accipit corpus Christi, pro illo verè mortuus est. At prius verum de Juda, Ergò & posterius. Major est indubitatæ veritatis. Dicitur enim in verbis cænæ: Accipite, edite: hoc est corpus meum, quod pro vobis datur. Et ind gnè manducantes, rei fiunt corporis & sanguinis Domini. Christus utiq; & pro illis est mortuus. Finge enim Christum pro impijs mortem non subijsse. Quomodo illi accipere dicuntur corpus, pro se in mortem traditum. Licet autem Christus reprobos amore summo & speciali, obstante propriâ malitiâ, non prosequatur. Tum & quamvis ijdem actu non salventur, sed à Diabolo & propriâ malâ voluntate occæcentur. Inde tamen ipsa Christi satisfactio malè negatur. Ad locum *Rom. 9.* disputatione Quartâ ex professo responsum, cujus summa est: miserendi actum culpâ hominum particularem ac propensionem ad miserendum à parte Dei Universalem, non invicem confundenda, conf. *Rom. 11. v. 23.* Dilectio & odium quorum *Rom. 9. v. 13.* mentio fit, est tantum in Jacobo ejusq; posteris prærogativæ alicujus concessio, In Esa-

vo verò & posteritate, à prærogativâ illâ exclusio ut *Mal. 1. v. 2.* exponitur. Quomodo enim Deus Esavum in Adamo adimaginem suam conditum: & sacramento circumcisionis in fœdus gratiæ receptum *Gen. 17. v. 7.* & seqq. odio propriè sic dicto, omnem gratiam absolutè denegante prosequi potuisset? Atqui hæc fuut octo illa argumenta in synodo Dordrectanâ à professoribus Belgicis consignata, & veritati orthodoxæ oppositа Consequens nunc esset aliorum considerare rationes, sed illas futuræ disquisitioni, τοῦ Θεοῦ instituendæ reservamus, Christoq; stolas nostras sanguine suo dealbanti, summisè gratias agimus.

P

PRecedente disputatione professorum Belgicorum argumenta octo breviter, Scripturæ solius adhibito perpendiculo, consideravimus: nunc cum Deo progredientes, Ecclesiarum Hollandicarum & Westfrisicarum Catechismi fundamenta συνλογως perpendemus. Ne tamen ferrâ per eadem lineam reciprocare odiosa aliquâ tautologiâ necessum habeamus, argumentorum selectum instituemus, & quæ antea sæpius dicta sunt, sine necessitate non repetemus. Omissis ergò Scripturæ locis disputatione præcedente discussis rationes nonnullas attingemus.

2. Ita ergò concludit Catechismus. 1, Quicunq; salutem æternam consequuntur, pro iis est mortuus Jesus: Sed soli credentes salutem æternam consequuntur. Ergò pro solis credentibus ist mortuus Jesus. Respond. Major exclusivè intellecta, Christum videlicet tantum esse mortuum pro iis, qui salutem æternam consequuntur falsa. Contrarium namq; *Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8 v. 11. 2. Pet. 2. v. 1. Hebr. 6. v. 6.* dicitur. Proinde à salvationis actualis affirmatione: ad meriti Christi acquisiti negationem, nulla est firma sequela. Christus enim plurimis salutem æternam merito suo acquisivit, qui eandem propriâ obstante malitiâ, finali incredulitate nunquam possessuri sunt. Sicuti ex superiori discursu patet.

3. Reponit Catechesis, consonem Evangelij includere solos credentes, proinde ad hos solos mortem, ac totam ipsius obedientiam pertinere. Respondet pro nobis Catechesis, dum de fructu efficaciâ seu aplicatione se loqui verbis apertis ait. Applicatio ergò includit solos credentes, Acquisitio autem & ipsos incredulos sicuti præcedente disputatione, ex impiorum damnatione illud probatum fuit. Et probant idem loca catechismi allegata *Marc. 16. v. 16.* qui non crediderit, id est, Christum rejecerit, damnabitur. Item *Joh. 8. v. 24.* si non credideritis quod ego sim, moriemini in peccatis vestris. Credere ergò debebant Christum esse Messiam, vitam sibi acquiren-

tem. Verum ergò est Christum pro impijs esse mortuum, alias falsum credere deberent. Et quia falsum credere detrectassent, propterea damnarentur. Quod tamen maxime ἀβεόλογον.

2. 4. 2. Quibus non promisit vitam æternam, eos non redemit à morte æternâ. At impijs non promisit vitam æternam. Ergò &c. Respond minor falsa est, quomodo enim se metipsos indignos redderent vitâ æternâ, *Act. 13. v. 46.* Si nulla ratione ipsis promissa. Si dixeris non tamen salvamur impij Resp. concedimus: causam autem damnationis impiorum prævia scriptura, Christi rejectionem dicimus, *Joh. 12. v. 48.*

3. 5. 2. Quibus minatus est Deus in verbo suo mortem æternam. ij non sunt morte Christi redempti. At incredulis minatus mortem æternam. Resp. major indistinctè non est vera. Nam voluntate antecedente. quâ consideratur Dei bonitas, salutem omnibus etiam malis offerens *Matth. 22. v. 10.* Deus vult quoq; congregare impios venire nolentes *Matth. 23. v. 37.* expandit manus suas ad populum contradicentem *Rom. 10. v. 21.* invitat quoq; ad cœnam suam spiritualem incredulos, sese excusantes *Luc. 14 v. 18.* Quando autem homines bonitate Dei abutuntur; quæ tamen ad pœnitentiam eos invitabat. *Rom. 2. v. 4* tunc voluntate consequente ingratitudinem hominum puniente, minatur mortem iis, qui bona cœlestia neglexerunt. Quos ergò voluntate antecedente ad cœnam invitarat, hos voluntate consequente *Luc. 14. v. 21* ob illorum hominum contemptum cœnam suam gustaturos negat, v. 24. Et quos congregare voluntate antecedente volebat, horum domos relictum iri desertas, voluntate consequente prænunciat *Matth. 23. v 38.* Nulla igitur firma consequentia: Deus incredulis æternam minatur mortem. Ergò Christus pro illis nullâ ratione est mortuus.

4. 7. Pergit Catechismus p. 304. cogitent obsecro adversarij, quàm sit ignominiosum Deo. quod promissiones ad omnes pertinere asserant: nusquam promisit se in omnibus effecturum fidem & pœnitentiam: nam plurimi damnantur. Hinc inferunt: si promisisset omnibus hominibus, etiam staret promissis, & daret vitam æternam hominibus: Sed non dat omnibus, ergò non promisit; quia

quia veritas ejus alioqui hoc necessariò exigeret. Respondeo 1. absit dicamus ignominiosum esse Deo, promissiones ad omnes pertinere asserere, cùm id potius divitias bonitatis divinæ, omnibus hominibus bene cupientis, gratiamq; suam offerentis demonstret conf. *Luc. 1. v. 79. c. 2. v. 10. Tit. 2. v. 11.* 2. Licet fides culpâ hominum non sit omnium *2. Thes. 3. v. 2.* vult tamen Deus omnes credere Evangelio *Marc. 1. v. 15.* & resipiscere *Matth. 3. v. 2 Act. 17. v. 30.* Licet ergò plurimi damnentur; damnationis tamen causam nunquam scriptura sacra agnoscit aliam, quàm Christi rejectionem incredulitate factam. *Joh. 3. v. 18. 19.* 3. Nostra incredulitas fidem Dei, sive fidelem Dei promissionem, non reddit irritam *Rom. 3. v. 3.* quamvis itaq; nos simus increduli, ille tamen fidelis manet *2. Tim. 2. v. 13.* Stat ergò Deus promissis, modò nosmetipsos non reddamus promissionibus indignos. Discrimen ergò promissionum absolutarum & conditionalium, quam & ipse *Musculus* agnoscit *Q. 6. de Remiss. peccat. p. 287.* bene observanda. Quod si Deus absolutè promisisset vitam æternam, & non daret, tum aliquid posset ex mente adversariorum inferri. Jam verò non absolutè, sed cum conditione, ac certo ordine promissio illa facta. Hinc scriptura ait: *si* vos manseritis *Joh. 8. 31.* Si feceritis *c. 15. v. 14.* Si fiduciam retinueritis *Heb. 3. v. 6.* Si in vobis permanserit *1. Joh. 2. v. 24.* conditio autem illa sive ordo, non facit promissiones à parte Dei particulares, sed tantùm ostendit, quo ordine promissiones Dei effectum suum sortiantur. Quando verò effectum suum non obtinent, hinc promissionum divinarum non infertur instabilitas, ac à parte Dei particularitas, sed nostra potius arguitur pravitas. Testatur enim scriptura, fieri posse, ut gratiâ Dei excidamus *Hal. 5. v. 4. Hebr. 12. v. 15.* & à Deo vivente desciscamus *Hebr. 3. v. 12.* Quod ergò actu vita æterna non detur omnibus, inde malè promissionem omnibus esse factum, dedandâ vitâ æternâ negatur. Aliud enim est promissio ordinata de concedenda vita æterna omnibus facta, Et aliud actualis vitæ æternæ collatio, solis credentibus promissa. Dicente *Melanchth. part. 3. operum. p. 46.* Viro censore Pezelio de Ecclesiâ Christi optimè merito, promissiones de gratiâ Dei sunt universales, licet fructus earundem

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051/phys_0171
DFG

eundem culpa hominum sit particularis. Item repetitur loco de promissione *Evang. p. 191. Arcius* in L. C. de promissionibus Divinis *p. 101.* distinctionem datam hisce exponit verbis. Etqvamquam universaliter salus omnibus proponatur, tamen non applicatur nisi credentibus. Et subjungit: meritum Christi sanctis fructuosum, reliquis non perinde. Musculus acturus de dispensatione gratiæ Dei, ac salutis humanæ, per Christum Redemptorem acquisitæ, emphatica hæc habet verba *p 165.* parata est gratia Dei & exposita toti orbi, perinde ac solis beneficium (Matth. 5. v. 45.) calorem & splendorem suum passim effundentis, omnibus est paratum, verum necesse est, ut quod tam omnibus paratum, utiliter accipiatur. Quid clarius pro sententiâ nostrâ declaranda adduci potest, quam expisis adversariorum testimonij. factum est. Summa autem est: gratiam acquisitionis & applicationis respectu consideratam, distinguendam esse.

7. 5 Progreditur Catechismus: cum sanguine Christi corda impiorum non purificentur, nec mundentur, ejus efficacâ non sunt redempti à morte æternâ *Act. 15. v. 9.* fide purificantur corda Responsio ex præcedentibus patet. Confunditur enim purificatio actualis solis credentibus applicata, cum purificatione omnibus acquisita. Meritum Christi omnibus est paratum, sed à solis credentibus utiliter accipitur, ut paulo ante ex Scholâ adversariorum, audivimus de gratiâ Dei per Christum acquisitâ, Musculum loquentem. Proinde hanc sequelam negamus: Solis credentibus meritum Christi applicatur, quorum propterea corda fide purificantur. Ergò Christus pro solis credentibus est mortuus. Est & manet nihilosecius Christus agnus tollens peccata mundi *Joh. 1. v. 29.* Cujus est, ratione acquisitionis Servator, *Joh. 4. v. 42. 6. 12. v. 47.*

8. 6. Jta colligit: redemptio morte Christi facta, consistit in gratuitâ omnium peccatorum remissione *Eph. 1. v. 7. Col. 1. v. 14.* Unde exstruitur argumentum. Quoscunque Christus suo sanguine redemit, ij habent remissionem peccatorum: Sed homines increduli non habent remissionem peccatorum. Ergò eos Christus non redemit. Musculus distinguit illos quibus gratia remissionis actu contingit, ac quibus sit anuntianda & proponenda. Dicente enim *Zanchio*

chio Tom. 7. Reprobat. p. 163. Omnibus promiscuè offeruntur hæ promissiones. De ultimis ait Musculus, non esse quosdam statuendos, quibus solis peccatorum fit prædicanda remissio, cum ad illam vocentur omnes, Judæi & Græci, & universum genus mortalium, majorem ergò si intelligamus, de remissione peccatorum acquisita, illam veram esse putemur. Omnibus enim peccatorum remissio est morte Christi parta. Quod vel ratio Musculi, ut & ipsius Zanchij addita, indicat; quibus enim est annuntianda ac proponenda remissio peccatorum, illis utique per Christum est acquisita. Finge enim cum adversarijs, Christum nullâ ratione acquisivisse impijs peccatorum remissionem, quomodo illa annuntiari poterit ijsdem. *Actor. 26. v. 18.* Anne Deus impijs illudit, proponendo eis id, quod ex divinâ intentione nunquam incredulis acquisitum, Et anne peccarent Ecclesiæ ministri, impijs proponentes doctrinam ad se non spectantem? Neque valet Zanchij, loco ante allegato ratio, reprobos adhortatione ad pœnitentiam inexcusabiles reddi, neque suis impietatibus excusationem ullam prætexere posse. Si enim Christus pro reprobis nullo modo est mortuus, anne cum proponuntur ipsis, sive ut Zanchius loquitur, offeruntur & prædicantur hæ promissiones & adhortationes ad agendum pœnitentiam, sese excusare possunt, si verum dicunt adversarij: illa beneficia ad se non spectare; Christum enim solis electis datum, ac ipsis solis vitam æternam promeritum esse! Minor propositi syllogismi loquitur de remissione peccatorum applicata, quo respectu incredulos non habere peccatorum remissionem largimur. Illa autem remissionis peccatorum confusio, quatuor parit in syllogismo terminos. Quod si Major de remissionis peccatorum applicatione sumatur, tum illa falsa est, multi enim pro quibus Christus mortuus, actu non obtinent peccatorum remissionem, ut ex hactenus dictis constat.

9. 7. Ita argumentatur. Quoscunque Christus sanguine suo justificat, eos etiam sanctificat, glorificat *Eph. 5. v. 25. 26. 27. Tit. 2. v. 14. Rom. 8 v. 33. 34. 1. Cor. 1. v. 30.* At non omnes sanctificat. Ergò non omnes sanguine suo justificat. Respond. Ambiguitas est in phrasi: Christus sanguine suo justificat. Id enim si intelli-

gatur de meriti Christi acquisitione, falsum est omnes illos sanctificaris glorificari pro quibus Christus mortem oppetiit. Contrarium superioribus disputationibus sæpe probatum. Allegata loca partim agunt de Ecclesia, partim indicant finem redemptionis: liberationem scilicet ab iniquitate: partim loquuntur de electis, certò aliquando glorificandis. Quæ verò consequentiæ ratio: Christus exposuit sese pro Ecclesiâ. Ergò tantùm pro illâ mortuus. Item: Finis redemptionis est liberatio à peccatis. Ergò qui non liberantur actu à peccatis, illis salus à Christo non est parta. Item: Soli electi glorificantur. Itaq; quibus gloria æterna non contingit, pro iisdem non est mortuus. Hanc consequentiam vacillare ex præcedenti disputatione, in quâ contrarium ad nauseam inculcatum, non excutienti patet.

10, 8. Quoscunq; redemit Christus sanguine suo, sanguine fœderis sunt tincti: nam ideo dicitur sanguis fœderis, quia sanguine & morte Christi redemptio est confirmata. Et quia hic sanguis, h. e. mors Christi, beneficium est confœderatorum: ideo & sanguis animantium, qui in sacrificio pro peccatis effundebatur, per metonymiam sacramentalem sanguis appellatur. Soli electi sunt tincti sanguine fœderis *Zach. 9. v. 11.* Fœdus autem Dei non cum incredulis, sed cum credentibus initum: fœderis enim summa est: non ero memor vestrorum peccatorum, & inscribam legem meam in cordibus vestris, hoc autem tantum fit in credentibus *Jer. 31. v. 34.* Respond. ambiguè dicitur: tingi sanguine fœderis; notatur enim vel usus, fructus, & applicatio fœderis Evangelici solis credentibus facta, quo sensu concedimus solos credentes & electos sanguine fœderis esse tinctos, id est, habere beneficiorum morte Christi partorum fructum & applicationem. Et hoc sensu negamus Majorem syllogismi, non enim omnes sanguine Christi redempti, fructum redemptionis percipiunt. Si verò sanguine fœderis tingi, ipsam notat meriti Christi acquisitionem, tùm Minor falsa est; soli namq; electi sanguine fœderis non solum tincti, id est, pro solis electis Christus non est mortuus. Quod vel ex loco *Hebr. 10, v. 29.* & verbis institutionis S. Cœnæ constat. Dicitur enim,

omnes

omnes duodecim discipulos, Juda proditore non excluso, bibisse ex poculo, de quo Christus ait. Hic est sanguis meus Nov. Testamenti sive fœderis, sive ut Lucas inquit: Poculum est novum Testamentum per sanguinem Christi. Ab his verbis Judas proditor non excluditur, si Sacramenti S. Cœnæ essentiam & substantiam spectemus. Nam rectè dicente *Augustino contra Fulgent. Donatist p. 762.* & judas proditor bonum corpus percepit. Ex his dictis patet quo sensu increduli sanguine fœderis tincti dici possint conf. *Exod. 24. v. 8.* Locus *Jer. 31. v. 34.* agit de credentibus, fructum ex initio fœdere capientibus. Quæ verò consequentia pij fructum percipiunt ex inito fœdere. Ergò bona fœderalia, tantum respectum habent ad credentes. Id enim si verùm esset, frustra impij invitarentur ad agendam pœnitentiam, cujus fundamentum in bonis fœderalibus positum est, *Marc. 1. v. 5.*

II. 9. Scriptura sacra sæpissime non utitur voce *omnis* sed *multi*. Qui sunt illi multi? audi Apostolum Johannem *Apoc. 5. v. 8. c. 7. v. 4. 14. c. 14. v. 3.* Resp. Ad nauseam usque dictum est, salvationis particularitatem, non inferre meriti Christi à parte Dei considerati singularitatem. Allegata Scripturæ loca non ostendunt illos omnes, sive non notant subjectum adæquarum, pro quibus Christus est mortuus, sed indicant solum, quinam salutem actu adepti sint æternam. Quamvis verò nonnunquam Scriptura utatur voce *multi*, id tamen in hac materiâ quando de merito Christi acquisito sermo est, æquipollet voci *omnis*. Unde ipse *Calvinus in cap. 53.* fatetur multos pro omnibus sæpe accipi. Et in specie concedit idem fieri in loco *Rom. 5.* verba ejus hæc sunt: multos pro omnibus interdum accipi, cum ex alijs locis, tùm ex Quinto ad Rom. capite liquet. Wendelinus *cap. 12. de predest. p. 52.* licet concedat multos interdum pro omnibus promiscuè poni, negat tamen id fieri in apodosi *Rom. 5. v. 19.* addens, tum demum id probatum iri, cum Spiritum sanctum sibi contradicere probaverimus. Verum mi Wendeline non opus est, ut contradictionem aliquam hic metuamus, quando prævia Scriptura, unius obedientia multos, id est omnes, *ex v. 18.* Justos constitutos diximus. Intelliguntur enim, ut res ipsa

loquitur, justificatio à parte Christi acquisita: non verò à parte hominum applicata. Ita cum scripturâ rectè dico: Christus illuminat omnem hominem venientem in mundum *Joh. 1. v. 9.* intelligatione acquisitionis lumenis; quamvis ratione applicationis subjungatur *v. 11.* in sua venit, & sui eum non receperunt. Et ut omnem dubitationem scriptura eximat, sæpius utitur particula *omnis*, hinc gratia Dei salutifera illuxit *omnibus* hominibus *Tit. 2. v. 11* in tenebris & umbra mortis sedentibus *Luc. 1. v. 79.* Christus pro *omni* homine gustavit mortem *Hebr. 2. v. 9* & pretium redemptionis pro *omnibus* hominibus persolvit *1. Tim. 2. v. 6.* Hinc gaudium, ex nativitate ejus ortum futurum erit Omni populo *Luc. 2. v. 10.* quia omnium hominum est servator *1. Tim. 4. v. 10.* filius hominis enim venit servare id quod perierat *Luc. 19. v. 10.*

12 10. Hæreditas morte Christi parta, est filiorum Dei propria *Rom. 8. v. 17.* soli credentes sunt hæredes *Gal. 3. v. 18.* & infideles non sunt hæredes *Gal. 4. v. 30.* Respond. hæreditas à Paulo descripta, est fructus passionis Dominicæ. Fructum autem solos concernere credentes, testimonium spiritus sancti, quod sint filii Dei interius sentientes, toties dictum est ut illud repetere tædeat. Quæ verò illatio: soli credentes percipiunt ex passione Christi fructum. Ergò pro impijs non est mortuus?

13 11. Super quos ira Dei manet in æternum, quicunq; laqueis Diaboli irretiti tenentur, quicunq; potestati satanæ subjecti sunt: illi nullo Unquam temporis momento, per sanguinem Christi redempti sunt At super incredulos & hypocritas, quamdiu tales sunt, manet ira Dei in æternum, & satan est efficax in filijs incredulitatis, ergò mors Christi non est efficax in ijs. Et impij dicuntur viventes mortui *1. Tim. 5. v. 6. Apoc. 3, v. 1.* quo igitur tempore Deo vixerunt? si infideles non possunt ullo tempore Deo placere, quamdiu tales manent quo tempore Deo reconciliati Sanguine Christi Jesu? firmissimè igitur infelicissimus hic impiorum & incredulorum status docet, ipsos non esse ullo momento, Sanguine Christi redemptos. Resp. quia hujus argumentationis multa sunt membra, singula breviter considerabimus, 1. qui non credit filio

non

non videbit vitam, sed ira Dei manet super eum *Joh. 3. v. 36.* Hic quæritur, cur ira Dei super incredulis maneat? numme propterea, quod Christus pro illis non sit mortuus? quod arbitrantur adversarij, sine scripturâ. An verò ea de causâ quod filium Dei peccatis suis denuo crucifigant *Hebr. 6. v. 6.* & sanguinem testamenti, per quem sanctificati, prophanent *Hebr. 10. v. 26.* Dominum nostrum Jesum Christum negent *Jud. v. 4.* & quem antea *salutariter* agnoverunt, & cujus sanguine mercati sunt, sibimetipsis celerem interitum accersentes, abneg nt *2. Pet. 2. v. 1. 20.* super quibꝰ ergò has ob causas, ex verbo Dei adductas, manet ira Dei, pro illis Christus satisfecit, ac acerbissimam mortem subijt, pone enim cum adversarijs Christum non esse pro impijs mortuum, quomodo ijdem denuo peccatis eum crucifigunt, quomodo sanctificati sanguine testamenti, ac mercati ab eodem dici possunt? 2. increduli laqueis Diaboli propriâ culpâ irretiti tenentur, ac proinde potestati satanæ, cui tamen verâ fide resistere debebant *1. Pet. 5. v. 8.* subjecti, sed num inde infertur, Christum pro illis non satisfecisse? id si verum, frustra adhortaretur Paulus Timotheum suum, ut toleraret cum mansuetudine malos, si quando det illis Deus pœnitentiam ad agnoscendam veritatem *2. Tim. 2. v. 25.* Christus jubet Paulum aperire oculos eorum, ut convertantur à tenebris ad lucem, & à potestate satanæ ad Deum, ut accipiant remissionem peccatorum & sortem inter eos, qui sanctificati sunt per fidem *Act. 26. v. 18.* & Colossenses erepti sunt à potestata tenebrarum, ac translati in regnum filij dilecti *Col. 1. 13.*

14. Cæterum quod dicitur, impios viventes esse mortuos, nihil facit ad impugnandam mortis Christi universalitatem. Non valet sequela: impius spiritualiter mortuus. Ergò pro illo Christus non est mortuus, Romani *Rom. 6. v. 11.* Colossenses *Colos. 2. v. 13* Ephesij *Eph. 2. v. 1.* spiritualiter aliquando mortui, nihilo secius tamen Christus pro illis sanguinẽ suum fudit. In specie allegatis locis adhortatur Apostolus illos, quos mortuos dixerat ad resumendã vitã, & agendam pœnitentiam, ne adversarius maledicendi causam habeat *1. Tim. 5. v. 4.* In Apocalypsi Johannis Christus alloquitur Angelum, id est, mini-

strum Ecclesiæ Sardensis spiritualiter mortuum, hunc reviviscere jubet ac resipiscete. Seu, ad Deum feriò reverti. v. 3. sed si Christus pro illo non esset mortuus, anne adhortatio illa à parte Dei fuisset inanis & lusoria? necessum verò non est, pro quo Christus satisfecit illum spiritualiter vivere. Vita enim spiritualis mortis Christi fructum, non præcisè ipsam satisfactionem, seu λύτρον solutionem notat. sicut & τὸ placere, si specialiter intelligatur. Aliàs complacentiâ generali Christus etiam impios complectitur ut *Joh. 3. v. 16.* videre est. Status ergò impiorum & incredulorum infelicissimus, non docet Christum illos non redemisse, sed indicat eosdem Christum incredulitate à se reijcientes fructu redemptionis privari conf. *Joh. 12. v. 38. Hebr. 3. v. 19.* Quia ergò neglexerunt tantam salutem *Hebr. 2. v. 3.* non ultra pro peccatis (extra Christum enim nulla salus *Joh. 14. v. 6. Act. 4. v. 12.*) reliqua hostia expiatoria *Hebr. 10. v. 26.* Hinc illa impiorum infelicitas, quæ non ex rationis nostræ indagine, sed Scripturæ veritate mensuranda.

14. ii. Progreditur Catechismus argumentando. Si omnes homines, impij, incredeli, Epicuræi æquè sunt morte Christi redempti, nullam peculiarem consolationem præ Epicuræis fideles Dei haberent. At habent fideles peculiarem consolationem *1. Tim. 4. v. 10. 2. Cor. 1. v. 10.* Syllogismus talis est. Quicquid commune est impijs ac pijs, exinde consolationem peculiarem non habent pij. At ex sententiâ nostrâ redemptio Christi communis est pijs ac impijs. Ergò peculiarem consolationem non habent pij. Resp' Major indistinctè sumpta falsissima est, Anne enim impij & pij communem habent panem quotidianum. Et tamen ex omnibus illis rebus, impijs cum pijs communibus, pij peculiarem habent consolationem. Pius Deum creatorem ut propitium Patrem intuetur, proinde ex donis datis peculiare sentit gaudium, gratulans sibi de tantâ benigni Patris benevolentiâ. Impius licet quamvis externam ex rebus datis sentiat lætitiam *Act. 14. v. 17.* Illam tamen consolationem solis pijs peculiarem non experitur. Idem sentiendum est de verbo prædicato, incredulis quoq; communi *Luc. 8. v. 5.* & seqq. *Hebr. 4. v. 2.* Sed respectu impiorum est offen-

diculum

siculum & stultitia: ratione piorum est Dei potentia ac sapientia. *Cor. 1, v. 23. 24.* Sive ut Paulus loquitur *2. Cor. 2. v. 16.* Verbum Dei pereuntibus est odor mortis ad mortem. His qui salvabuntur, odor vitæ ad vitam. Impii audientes verbum Zelo impio commoventur ac rident. *Act. 17. v. 5. 32.* Pii internam lætitiam & consolationem sentientes gaudent. *Act. 8. v. 36.* Baptismus quoq; impijs communis. Fieri enim potest, ut præeunte Scriptura *August. Lib. 3. cont. Donat. cap. 14.* rectè ait, ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem. Piis ergò Baptismus est συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν, interrogatio bonæ conscientiæ, qua conscientia cata clamat: Abba Pater, Deum securè interpellans *1. Petr. 3. v. 21* Impij hanc consolationem, quamvis cummunem habeant Baptismum, non sentiunt. Quod si major ita suppleatur. Quicquid omni modo, tùm ratione acquisitionis, tum respectu applicationis usus & fructus commune est, exinde non sentiunt consolationem pij præ impiis, tum Major vera, sed Minor falsa. Quamvis prævià Scripturâ Christum omnibus salutem acquisivisse dicamus, culpâ tamen hominum obstante incredulitate, meriti fructum dicimus esse particularem, solis pijs competentem. Qui & propterea peculiarem, impiis non competentem percipiunt consolationem, ut ex hactenus dictis patet, & loca allegata testantur.

16. 13. Regeneratio, remissio peccatorum, justitia æterna, pax conscientiæ, fides & alia spiritus sancti dona, sine quibus nemo salvari potest, non communia dona. Responsio ex præcedentibus constat. Ubi toties dictum, redemptionis Christi fructum culpa hominum Christum à se repellentium particularem, non concludere redemptionem ipsam à parte Dei consideratam esse singularem. Proinde non valet sequela: hic non Salvatur: ergò Christus pro illo non est mortuus vide *Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1.*

17. 14. Sacrificium & mors Christi est convivium illud magnum, de quo *Luc. 14.* Ab hoc excluduntur increduli & impænitentes *v. 24.* Dico vobis non gustabunt cœnam meam. Resp. quod comicus dicit: tuo indicio peris ut forex. Idem de hoc Catechismi

argu-

argumento dici potest. Ex integrâ enim parabolâ conflat cœnam hanc, sive gratiam Evangelij omnibus, impijs non exclusis esse paratam, proindeq; omnes ad gratiæ hujus participationem serio à Deo invitati, sed ut *Gualterus in cap. 22. Matth.* rectè dicit: plerique homines hanc gratiam aspernantur & vocati licet, nolunt ad Christum accedere. Et Calv. in Harmon Evang. inquit; humaniter Deus invitarat, homines verò contemptim respuunt ejus gratiam & oblatam fastidiosè rejiciunt. Hinc jam per se patet, cur impios incredulos, Cœnam non gustaturos dicatur. Non ea de causa quod cœna illis non sit parata, seu quod Christus pro illis non sit mortuus sed quia paratam cœnam fastidiunt, seseq; gratiâ oblatâ indignos reddunt. Ideo in locum illorum cœnam contemnentium alij ex Dei mandato substituuntur. Argumentum itaq; evidens ex parabolæ scopo formatum hoc est: Quicunq; propterea non gustabunt cœnam, id est gratiam, quia illam serio à Deo invitati, comparere noluerunt, illis tamen cœna, id est gratia, fuit parata, ut ex v. 17. videre est. At increduli & impœnitentes propterea non gustabunt cœnam, id est gratiam quia ad illam serio à Deo invitati, comparere noluerunt. Ergò tamen cœna, id est gratia, illis fuit parata. Inde *Matth. 22. v. 4.* ubi eadem res & gratiæ oblatio alijs licet verbis describitur, idem emphaticè dicitur: *omnia sunt parata, venite ad nuptias.* Et in hac controversia, id tantum contra adversarios propugnamus, quod parabolæ hujus scopus ex professo tractat: gratiam Dei merito Christi acquisitam, ac Evangelij præconio omnibus oblatam, æque paratam esse impiis quam piis; licet impij gratiam illam oblatam respuant, Unde fiat, solos pios paratæ ac ab impiis & incredulis neglectæ, cœnæ, id est gratiæ, fieri participes, quod argumento nobis objecto tantum dicitur.

18, 15. Quicquid Deus omnipotens simpliciter vult fieri, id impediri non potest. Si quodcunq; non fit, sed impeditur, id Deum simpliciter velle fieri, dici nullo modo potest; alioquin non esset omnipotens. Atqui omnes homines servari mortis Christi cum experientiâ pugnat, impeditur & non fit; Deum igitur hoc ipsum absolutè velle & simpliciter nullo modo dici potest. Respond. evol-

venda

venda est ambiguitas quæ latitat in vocibus *absolute & simpliciter*. Illæ enim vel notant, Deum sine ullâ conditione & ordine velle homines morte Christi servari, & hoc sensu negamus, nullum hominem licet maximè pium salvari. Quotquot enim æternâ vitâ donantur, illos Deus non *simpliciter & absolutè* salvos fieri vult, sed necessum est ordinem à se verbo præscriptum observari *Joh. 17, v. 20. 1. Cor. 1. v. 21. c. 3. v. 5. 1. Tim. 4. v. 16. Jac. 1. v. 21.* vel secundo voces hæ indicant Deum non seriò velle, ordine verbo suo præscripto salvari morte Christi impios, quod tamen Deum velle scripturâ præviâ, affirmamus, sicuti ex præcedentibus disputationibus patet, priori consideratione concedimus Deum absolutè, nullo habito alicujus conditionis respectu, non velle homines morte Christi æternum beari, scriptura sacra enim, semper conditionem à parte salvandorum hominum observandam annectit. Vide inter multa loca *Act. 11, v. 23. 1. Cor. 16. v. 13. Apoc. 3. v. 11.* & passim. Cum ergò quæ Deus cum conditione vult, illa non semper fiunt, causa non est in voluntatis divinæ impotentia, sed conditionis absentia quærentia. Sic Deus cum voluit congregare Judæos *Matth 23. v. 37.* sed hac cum conditione, ne in lapidem offendiculi impingant. sed in Christum credant *Rom. 9. v. 23.* quam conditionem, fidei obtinendæ media repellentes. *Matth, 21. v. 30. 38. 39. 42. 43.* cum impij judæi non implerent, pœna tanta contumatiâ digna subjungitur: auferetur à vobis regnum Dei *Matth. 21. v. 43.* Item: relinquitur domus vestra, deserta *Matth. 23. v. 38.* Haud aliter Deus vult omnes morte Christi servare, verum non absolute & simpliciter, sed requirit à parte hominum conditionem *Act. 6. v. 7. c. 8. v. 37. c. 16 v. 31.* Quam qui malitiosè media fidei negligentes, contemnunt *Act. 18. v. 6* Deo vocanti recalcitrant *Prov. 1. v. 24* ac invitati non respondent *Esa. 65. v. 12.* consilium Dei negligunt *Luc. 7. v. 30* illi non salvantur. Causa verò non in voluntatis divinæ omnes homines salvare cupientis ponenda, sed in mediorum salutis neglectu investiganda erit. *Musculus loco de voluntate Dei p. 445.* hanc rem similitudine exponit. In patre gemina ergò filium voluntas, qua priore loco illi vult optimè consultum, & ad illius commoda in omnibus collimat: posteriore verò requirit ab eo animum à se bonâ cum fidu-

ciâ

cia pendentem, sui reverentem, morigerum, & honestè sese in omnibus gerentem. Ita addit Musculus, de voluntate Dei quoq; erga nos cogitandum est, primò qua vult nos esse salvos: deinde qua quæ à nobis præstanda sunt requirit. Ex hactenus dictis constat, Deum velle omnium hominum salutem præsuppositâ mediorum ordinatorum conditione, quam quia pleriq; hominum contemnunt, ideo non salvantur, licet salus illis per Christum sit acquisita, & per verbi prædicationem offeratur.

19. 16. Si morte Christi impij & incredùli sunt Deo reconciliati, & in sinum gratiæ reipsa recepti, vis & nervus consolationis Evangelicæ tollitur & evertitur. Nam si ex nostrâ sententiâ omnes homines sanguine Christi à peccatis & morte æternâ liberati, aliqui tamen postea ex ipsis incredulitate damnentur, fideles de suâ salute æternâ certi esse non possunt: in tentationibus siquidem conscientia hanc ponit in syllogismo practico majorem propositionem: aliqui pro quibus Christus est mortuus salvabuntur: subsumitur minor, pro me Christus est mortuus. Ergò & salvabor. Hinc lucè meridiana clarius constat, puris particularibus tolli πληροφορίαν fidelium & pontificiorum stabiliri ἐπιχήν. Certè nervus consolationis Evangelicæ non est, quod omnes homines morte Christi reipsa sint redempti. Nam & Epicuræus, Turca, Judæus, & ex professo Jesum reijciens est homo. Sed quod omnes credentes, & fide sibi mortem Christi applicantes in æternùm salvabuntur. Ego autem credo. Ergò. Hæc est fidei anchora, quâ tutissimè acquiescentes contra omnes fluctus tentationum consistimus. Hactenus Catechesis.

20. Respond. Supra *Thes.* 15. dictum nihilominus pios habere ex merito Christi applicato consolationem, licet acquisitio meriti sit generalis. 2. Certitudo salutis nostræ est ordinata, certisq; limitibus circumscripta. *Rom.* 11. v. 22. 2. *Cor.* 1. v. 22. 1. *Joh.* 5. v. 10. credens ergò certus esse potest de suâ salute *Rom.* 8. v. 16. Quod si fidem peccatis amiserit *Apoc.* 2. v. 5. ac illius naufragium passus fuerit 1. *Tim.* 1. v. 19. Spiritum S. quo certus de salute redditus contristarit *Eph.* 4. v. 30. ac templum Dei prophanaverit 1. *Cor.* 3. v. 17. tùm non amplius salutis certitudinem habet. Quod 3. attinet Syllogismum practicum

tum, quem ex sententiâ nostrâ constare ex puris particularibus dicitur. Quod si ergò ita formetur: omnes pro quibus Christus est mortuus salvabuntur. Major est falsissima, ob loca antea citata *Rom. 14. v. 15. 1. Cor. 8. v. 11. 2. Pet. 2. v. 1. Hebr. 6. v. 6. cap. 10. v. 29.* Proinde syllogismus practicus omnium firmissimè talis formatur. Qui dilexit ac redemit totum mundum, credentes & incredulos complectentem, ille quoq; dilexit ac redemit me. Deus dilexit ac redemit totum mundum, credentes ac incredulos complectentem vide *Joh. 3. v. 18. 6. v. 47.* Ergò quoq; dilexit ac redemit me. Id ergò agam vitâ meâ, ne media salutis contemnam, ut fructum redemptoris habeam. Hic ergò syllogismus firmior est syllogismo adversariorum, & in specie piscatoris *vol 2.* ita argumentantis *p. 205.* Gratia nonnullis offertur animo communicandi. Ergò fieri potest, ut & ego sim in illo numero. Quod si homo in tentationis ἀκμῇ constitutus, non valere consequentiam diceret; immotè enim non sequi: quibusdam offertur gratia animo communicandi. Ergò & mihi. Quamvis ergò actualis salvatio culpa hominum sit particularis, Syllogismus tamen, quæ ex oblatione universali salutis formatur, est invictus. Deus non vult ullum perire, sed omnes ad veritatem converti, non delectatur morte peccatoris morientis. Ergò & meam vult salutem, observato tamen ordine verbo Dei præscripto. Syllogismi autem practici ita debent esse formati, ut major & minor in scripturâ contineantur, aliàs, ut paulo ante dictum, esset falsus syllogismus, & vel Major vel Minor veritati in scripturâ revelatæ repugnaret.

21. Verissimè quidem infertur: omnes credentes fide sibi mortem Christi applicantes (qua tales sunt & manent) æternùm salvari. Inde tamen malè concluditur. Ergò qui non salvantur, pro illis Christus non est mortuus. Hæc quidem sequela immota manet: Qui non salvantur, illi fructum meriti Christi non sentiunt, licet ipsa satisfactio pro illis sit præstita & λύτρον solutum.

22. 17. Concludit tandem Catechesis disputationem: an Christus pro omnibus mortuus, hoc syllogismo, Quorum caput est Je-

sus Christus, eos solos vi mortis suæ redemit à morte æternâ, sed tantum verè fidelium & non apparenter, aut externo charitatis & Ecclesiæ judicio Christus est caput. Major est *Ephes.* 1. v. 23. Respond. Major secundum ipsos adversarios non est universalis. Nam Christus secundum Calvinum est quoq; Caput Angelorum. Et tamen pro Angelis Christus non est mortuus. *Calvin in cap.* 1. *Ephes.* inquit: nam quum Christus solus vocatur caput, certè omnes tam Angeli, quàm homines in ordinem membrorum coguntur. Si itaque dicente Calvino, Angeli sunt membra Christi, utiq; Christus est illorum caput, & tamen Angelos Christus non redemit. Ad probationem Majoris respondemus, Christum esse Servatorem corporis, ac dare illi salutem, quando beneficia morte sua acquisita, verè credentibus, applicat; ita tamen ut licet applicatio sit specialis; acquisitio tamen minimè statuatur particularis sed universalis: dicitur enim Christus Servator omnium hominum 1. *Tim.* 4. v. 10. Quem locum Catechesis *Thes.* 10. de hac ipsa redemptionis materia non cum Beza, Piscatore, aliisq; de conservatione generali exponit. Et Christus ipse fatetur *Joh.* 12. v. 47. Se non venisse adventu suo primo, ut judicet mundum incredulum, sed ut eundem servet. Unde Christus non tantum dicitur propitiatio pro peccatis credentium, sed & totius mundi 1. *Joh.* 2. v. 2. Quem locum *Musculus*, tanta vis est veritatis, loco de *Remiss. peccat.* p. 284. universo genere mortalium unde, hic mundus à principio ipsius ad finem usq; constat, rectè exponit. Ex quibus omnibus constat, falsam esse Majorem, de merito Christi acquisito intellectam, cum ita infero: Quorum caput est Jesus Christus eos solos, vi mortis suæ redemit. Si verò de redemptione applicata, sive redemptionis usu & fructu propositio Major intelligatur, nihil veritati incommodi infertur: libenter namq; largimur, sicuti Christus est solum Caput mysticum credentium, ita quoq; pro solis credentibus ratione usus, fructus seu applicationis esse mortuum, Id hactenus non fuit in quæstione.

24. Atqui hæc sunt argumenta, quæ κατασκευαστικῶς sententiæ orthodoxæ Catechesis Ecclesiarum Hollandicarum & Westfrisicarum opponit. Unum illius argumentum, unde ἀποδεικτικῶς Christum pra omnibus non esse mortuum evincere conatur, disputatione

tatione præcedente enervatum, hinc ex professo hoc loco illud repetere necessarium visum non est. Syllogismo autem hypothetico argumentum proponit: Si noluit pro iis orare, multo minus mori? minus est orare quam mori. Responsio verò ne hic actum agamus ex disputatione proxima Thes. 26. desumi potest. Hac vice ergò discursum hunc claudimus, plura subsecuturæ discussioni reservantes. Et quia, laus Deo, veterem annum claudimus, ac novum Dei gratiâ exordimur, ille ut nobis omnibus ac imprimis afflictissimæ Ecclesiæ & exulibus tristissimis, felix & faustus sit, ex animo vovemus & exoptamus. Deus pater misericordiarũ, ac Deus omnis consulationis, consilia pacis conventu imperij publico agitata fortunet, nosq; almâ pace clementer beet. Respiciat quæsumus, non nostra peccata calamitatem hanc publicam satis promerentia, sed filij satisfactionẽ, peccatageneris humanitollẽtem. Et quã vis maxima generis humani pars, beneficiis morte Christi partis indigna sit, ac gratiam verbo & sacramentis oblatam contumaciter respuat, respiciat tamen supliciter rogamus oculis misericordiæ pusillum gregem, ac ipsi halcyonia concedat, faciatq; vindictam electorum suorum, die nocteq; ad se clamantium, ne calamitatum magnitudine fracti, ex impatientiâ aliquid vocatione sua indignum committant. Exaudi nos ô Pater, exaudi nos, idq; propter Dominum nostrum Jesum Christum, Filium tuum unigenitum nobis natum & datum, pro nobis crucifixum, mortuum & resuscitatum, Amen.

I.

NUpera οὐζητήσεα Ecclesiarum Hollandicarum & Westfrisicarum Catechismi fundamenta, Christum pro omnibus hominibus non esse mortuum probantia vidimus, nunc cum Deo hanc materiam, ut & partem de Praedestinationis articulo primam concludemus, & argumenta passim in adversariorum libris occurrentia, ductum verbi divini secuti, discutiemus, modò priùs quædam κρηπιδώματα antea nominati Catechismi, brevissimè examinemus. Postquam enim Christum pro omnibus non esse mortuum κατασκευαστικῶς confirmavit, disputationem subjungit alterâ, qua ad ἀνασκευὴν sententiæ nostræ sese accingit, De tribus autem adolescentes præmonendos ait, quæ ordine videbimus. 1. Christum Jesum pro omnibus hominibus, quoad sufficientiam, dignitatem, præstantiam & pretium λύτρου esse mortuum, Respondeo, si hoc adversa pars unà nobiscum candidè crederet, tum argumenta disputationis præcedentis nihil solidè concluderent. Verum assertionem hanc (Christum pro omnibus sufficienter esse mortuum) fucum solum continere, quo imperitis, verborum præstigiis imponitur, ex sequentibus patebit. *Beza* dicit in *Colloq. Momp. p. 547* Christus autem non est mortuus pro peccatis damnatorum, aliàs etiam damnati salvarentur, quos Deus æterno suo, sed justo decreto propter causas ipsi soli notas, ad æternam damnationem creavit, ordinavit & destinavit. Et ne quis Bezam fervore disputationis illa verba protulisse dicat, pergit re jam benè deliberatâ *Resp. 2. ad Acta Colloq.* idem affirmare, *p. 221.* ubi hæc habet verba: iterum autem dico, & coram totâ Ecclesiâ profiteor, blasphemum, & impium esse dicere. Christum sive quod ad Dei consilium attinet, sive quod ad effectum, non minus pro damnandorum & æterno judicio adjudicandorum peccatis passum, crucifixum, mortuum esse, & satisfeciisse, quàm pro peccatis Petri, Pauli, & omnium sanctorum, ut totidem verbis D. Andream non puduit ore & scriptis affirmare.

Pola-

2. *Polanus Lib. 6. cap.* 18. de passione & morte Christi, cum quædam obscurius dixisset, tandem infert: pro solis verè credentibus Christum esse mortuum, non autem pro fœtidis hircis Diaboli. In specie de distinctione sufficientiæ & efficatiæ, Beza ait allegato antea loco p. 218. Quum de istis (electis) inter nos quæsitum sit, quorsum iste mutatâ, ut Sophistæ solent, quæstione, istam sufficientiæ distinctionem videri possit induxisse, nisi ut illâ sua portenta, hoc obducto fuco operiret. Et p. 217. distinctionem illam vocat duram, ambiguam & barbaram, imo continere meram tergiversationem. *Piscator* quoq; commentario in 1. *Tim.* 2. allegatam distinctionem vocat ineptam, quæ eodem affirmante, in Apologiâ disputationis de causâ meritoriâ Justificationis hominis coram Deo consistere non possit, propterea quod implicet contradictionem. Quæ omnia si vera, quomodo Catechesis Christum pro omnibus sufficienter mortuum esse affirmare potest.

3. Verum probat Catechismus mortis Christi sufficientiam ex personæ dignitate, cum Mediator fundens sanguinem pro nobis, verus & omnipotens Deus sit. Mors & obedientia filii Dei cur non sufficentissima? Respond fundamentum hoc meritò urgemus contra Photinianos, veram Christi Deitatem negantes. Impræsentiarum autem non est quæstio, an Christi meritum respectu personæ patientis sit sufficiens, ita ut dicente Polano, sufficiat pro universis & singulis hominibus, non tantum unius mundi huius, sed etiam centies mille mundorum, sit tot essent. Sed id controvertitur, an ex intentione, consilio & proposito Dei meritum Christi sit sufficiens, non solum facto ad ipsam Christi prrsonam respectu, sed &, quod bene notandum, ad singula in mundo viventia individua, ex divinâ intentione factâ consideratione. Hic *Wendelinus* novissimè fermè omnium scribens, sententiam eorum candidè exponit, inquiens *Lib. 1. c. 17.* Christian. Theol. Sententia nostra est: Christum non pro omnibus & singulis hominibus, sed pro solis electis mortuum esse, & divinæ satisfeciisse Justitiæ.

4. Unde constat adversarios verbis phaleratis, glaucoma objicere imperitis, asserendo Christum sufficienter satisfeciisse pro omnibus homini-

hominibus, cum tamen dicente Beza. *Resp. 2 ad Acta Colloq. p. 194.* nunquam tempus fuerit, aut sit, vel futurum sit, quo voluerit Deus, aut voliturus sit, singulorum misereri. Et ut sufficientia ab adversarijs splendidis verbis allegata, ficta tamen, eò melius innotescat rem exemplo dilucidabo. Nabal cujus fit mentio 1. *Sam. 25, v. 2.* & seqq. ex sententiâ adversariorum sufficienter cibavit Davidem cum socijs, quia hæc personæ illius conditio fuit, ac divitiarum cumulus, ut illud facere potuisset, & non tantum quadringentos illos Davidis pueros, sed & longe plures, quia tria millia ovium, & mille capræ ipsi erant, cibare potuisset. Si ergò solùm Nabalis considero personam, & non saturandi voluntatem, rectè affirmare possum: Nabal sufficienter pavit Davidem cum socijs, quia potuit. Quam falsa verò illa sit assertio, textus ipse indicat. Non aliter sese res habet in hac ipsâ meteriâ controversâ, ibi certè sufficientia non ex solius personæ dignitate, sed & Dei satisfaciendi consilio, proposito & voluntate est mensuranda. Si enim verum est Christum pro solis electis esse mortuum, facta ad propositum & consilium Dei intuitu, tum falsum est, Christum quoad sufficientiam τῆς λύτρου pro omnibus hominibus verè esse mortuum. Manet ergò Catechismum, Pareum, Polanum, Zanchium, aliosq; destinctione hac utentes verba sine rebus nobis obtrudere, & imperitis imponere. Id intelligens Wendelinus sub finem cap. 12. ait: Si quæratur, an Christus pro omnibus satisfecerit, rectius negativam defendi asserit.

5. Deinde progreditur Catechismus allegatam sufficientiam ex supplicij Christi magnitudine demonstrare. Cruciatus enim ejus, quos animo & corpore à momento conceptionis usq; ad finem vitæ sustinuit, tantos fuisse, ut nulla nuda creatura par esse potuerit ferendo tanto oneri iræ divinæ & æternæ. Peccata enim nostra merentur mortem temporalem & æternam, hanc cum Christus vicerit, & ex eo emerserit victor triumphans, ejus sufficientia declaratur. Respond. quod si thesis adversariorum vera; Christum scilicet pro solis electis esse mortuum, quomodo Christus totam iram divinam placavit, cum solùm pauciss imos ex adversariorum sententiâ Patri reconciliavit? Disputatione præcedente Thes. 9. dixit Catechesis

chesis iram Dei manere supet impijs, ita ut exinde concludat eos dem sanguine Christi non esse redemptos. Si igitur impij, ratione acquisitæ redemptionis, Deo non sunt reconciliati, utique sufficienter Christus pro illis non est mortuus. Sufficientia enim sicuti paulò ante dictum est, non solum ex meriti magnitudine, ac personæ dignitate æstimanda, sed & simul ex intentione Dei, Christum pro omnibus hominibus mori volentis censenda est.

6. Ahasverus in libro Esther non rectè diceretur sufficiens instruxisse convivium, quo omnes saturati sunt, nisi simul ex intentione illius fortissimi principes Persarum ad id invitati essent, ut ita sufficientia non solùm à parte personæ Ahasveri, sed & ratione voluntatis convivium illud omnibus principibus Persicis destinantis æstimaretur. In Novo Testamento ex sententiâ adversariorum Christus infinitam habens potentiam sufficienter pavisset tot millia virorum, mulierum ac puerorum, si vel mille, aut etiam pauciores ex tanto numero solum cibasset, si sufficientia tantum ex personæ dignitate; non autem simul intentione consilio & voluntate ejusdem dimetienda est. Sicuti autem Christus verissimè sufficienter dicitur saturasse quinq; millia *Joh. 6. v. 10.* & quatuor millia virorum exceptis mulieribus & pueris *Matth. 15. v. 38.* facta consideratione non solum personæ Christi, sed & voluntatis omnes cibare cupientis: ita Christus sufficienter mortuus est pro omnibus hominibus, non tantum quod dignitas meriti ratione personæ considerati sufficiens esset, sed & respectu intentionis & consilij divini meritum omnibus hominibus destinantis. Hinc in præcedentibus disputationibus, Christum quoque pro impijs interitum sibi æternum accelerantibus mortuum esse sæpissimè dictum est.

7. Ad quæ loca Catechesis respondere conatur, & quidem in specie ad locum *Hebr. 6. v. 6.* 1. Non esse in textu Christum pro ipsis esse crucifixum. Respond. licet id non dicatur κατὰ τὸ ῥητὸν, dicitur tamen per immotam διάνοιαν. Nam si apostatæ illi dicuntur ἀνασταυροῦν ἑαυτοῖς de novo, sive rursum, vel ut Scapula loquitur, iterum crucifigere sibi filium Dei. Ergò antea quoq; pro illis est crucifixus. Finge enim Christum pro illis antea non fuisse crucifixum, quomodo

denuo suis peccatis crucifigere illum dici possunt? Nec est, ut cum Pareo dicas, illos scelus Judæorum & militum crucifigentium, sibi filium Dei iteratò admittere, cùm hic non agatur de Judæis Christum crucifigentibus, sed de apostatis, de quibus quod Christum denuo crucifigant affirmatur. Unde rectè Christum pro ipsis jam ante mortuum & crucifixum esse concluditur 2. Textum loqui de apostatis, qui latebant sub Ecclesiâ. Resp bene est, sed inde non negatur id, quod est controversum: Christum scilicet pro illis esse crucifixum. 3. Sibi ipsi crucifigere, sed sibi, h. e. in pœnam majorem sui, vel quantum in ipsis est, rejectione contra conscientiam, sibi inutilem reddere crucifixionum Christi. Respond. explicatio hæc illud, quod est τὸ κεχινόμενον, non impugnat, sed potius propugnat. Libenter largimur, apostatas crucifigere sibi denuo tali defectione Christum, idq; cedere in illorum æternum exitium. Sed num inde Christum pro his crucifixum non esse concluditur? Imo contrarium potius inde patet. Sive enim textum reddam cum Calvino, Bezâ, Marlorat. aliisq; per *rursum*, sive cum Pareo per *denuo*, argumentum nostrum firmiter concludit. Adverbia enim illa, rei ejusdem redintegrationem, seu repetitionem notant. Ut constat ex locis, ubi illa usurpantur, vide inter multa *Matt. 14. v. 40. Gal. 4. v. 9.* Si quis exceperit, non extare in fonte vocem πάλιν, sed ἄνα Resp. ἄνα in compositione hujus verbi σταυροῦν ab omnibus Interpretibus & Lexicis per rursum sive denuò exponitur. Inde Pasor in Lex. super N. T. ἀνασταυρόω de novo crucifigo, item ἀνασταυροῦντας rursus crucifigentes exponit.

8. Et hanc vrritatem locus parallelus *Hebr. 10. v. 29.* confirmat, ubi apostatæ isti sanguine testamenti dicuntur ante factam apostasiam sanctificati. Invictè itaq; inferimus. Qui sanctificati sunt sanguine Testamenti, pro illis Christus est mortuus. At apostatæ sanctificati sunt sanguine Testamenti. Ergò pro illis Christus est mortuus Excipit Catechesis 1. sanctificatos esse apparenter, Resp. textu contrariũ testatur. Dicitur en expressis verbis, apostatas illos habuisse ἐπίγνωσιν ἀληθείας *v. 26.* & spiritum gratiæ *v. 29.* quæ omnia apparenter

quem

quemquam velle interpretari, est scopum Apostoli à tali apostasia Hebræos dehortantis invertere. 2. Confessione externâ posse dici sanctificatos. Respond. externa confessio neminem per se sanctificat, aliàs ipse Satanas impurus ille Spiritus *Luc. 11. v. 24.* posset dici sanctificatus *Marc. 1. v. 24. Act. 19. v. 15.* 3. Opinione sui. Resp. Spiritus Sanctus exponit, non quid homines opinati sint, sed quid revera ante suâ apostasiam fuerint. conf. 5. *Petr. 2. v. 18. 4.* nemo, Judicio charitatis tantum sanctificatus, potest revera dici apostata. Hic autem agitur de veris apostatis ἑκουσίως peccantibus, quibus post acceptam veritatis cognitionem, ob voluntariam & planè malitiosam cum blasvemiâ conjunctam defectionem, formidabilis iræ divinæ exspectatio prædicitur. 5. Sufficientia τῆ λύτρᾳ. Resp. licet sufficientia sensu orthodoxo exponatur; non solum de dignitate personæ patientis, sed & simul de intentione & voluntate Dei totum mundum diligentis *Joh. 3. v. 16.* ideoq; meritum filii, omnibus hominibus destinantis, hinc tamen vera sanctificatio, qua de textus agit, non infertur. Nam sanctificatio quatenus hominibus applicatur, non fit sine fide *Act. 15. v. 9.* Fide enim quæ est erga Christum, sanctificamur *Act. 26. v. 18.* Hinc Catechesis rectè ait Thes. 4. fides vera est solum internum applicatorium medium, quo nobis remedium in Christi sanguine propositum applicemus. Sic Paulus quando erat blasphemus & persecutor & violentus 1. *Tim. 1. v. 13.* tum certè tantum abfuit, licet Christus sufficienter pro illo mortuus sit, ut esset sanctificatus, ut potius Diaboli laqueo captus, ipsius voluntatem fecerit *Act. 9. v. 1, 2. Tim. 2. v. 26.*

9. Atqui hæc hactenus de dicto *Hebr. 6. v. 6.* cui adjungit Catechesis locum 2. *Petr. 2. v. 1.* ad quem respondet: Dominum mercatum esse abnegantes 1. Sufficientia. 2. Qui pro mercatis habiti sunt judicio Ecclesiæ & charitatis. Quid vero respondendum sit, ex præcentibus satis abundè Constat. Ne eandem crambem sæpius apponamus, lectorem eò remittimus.

10. Tertiò sufficientiam mortis Christi probat Catechismus, quia non pro uno aut altero peccato & scelere sufficit mors Christi,

sed pro totius mundi peccatis, pro peccatis omnibus, & pro omnium hominum peccatis; etiam ad peccata omnia hominum, qui ab initio mundi vixerunt, & ad finem mundi vivent, tollenda præstantissimus & dignissimus, imo si essent alij mundi, tamen Christi sanguis est sufficientissimus. Respond. Utinam hic esset harmonia oris & cordis, quam pulcram dixerunt veteres; verum latet anguis in herba. Sufficientiam enim quam hic commendat Catechesis, nullam aliam intelligit, quam ipsius personæ Christi, qui potuisset satisfeciisse; non vero quod ex intentione divinâ meritum Christi omnibus debuerit esse sufficiens, sicuti præcedentes disputationis argumenta ὀφθαλμοφανερῶς restantur.

11. Quartò indignissimum est majestate divina, cogitare Deum Patrem insufficiens λύτρον dedisse ad reconciliationem nostri promerendam, cum Christus dicat consummatum est *Joh. 19. v. 30.* Respond. Si omnes homines non sunt redempti, sed ex omni natione aliqui, ut *Th. 7.* prioris disputationis dicit Catechesis, quomodo meritum Christi ex Dei proposito considerat um respectu omnium hominum est sufficiens? Anne dives ille *Luc. 16. v. 21.* sufficienter cibavit Lazarum, quia abundavit divitijs, ut id facere potuisset, quamvis nihil dederit? Locum *Joh. 19. v. 30.* rectè urgemus contra adversarios, particularitatem mortis Christi asserentes. Si enim omnia illa sunt consummata, quæ ad redimendum genus humanum in Adamo lapsum necessaria sunt, utiq; Christus opus redemptionis acquisitæ consummavit non ex parte, sed ex toto. Si autem non redemit incredulos, sequeretur Christum esse redemptorem partialem, non universalem. Atqui sic quod in Adamo amissum, in Christo non esset recuperatum, contra expressum locum *Joh. 5. v. 18. 19:* Et Christus ipse fatetur se venisse servatum quod perierat *Matth. 18. v. 11. Luc. 19. v. 10.*

12. Quintò sufficientiam meriti Christi exprimere illa loca *Act. 4. v. 12. c. 10. v. 43. Joh. 14. v. 6.* &c. quæ omnia diligenter observanda dicit Catechesis, ne causam vel culpam multorum perditionis in Christum Jesum conijciamus. Solvit enim λύτρον sufficientissimum, medicamentum hujus medici est præstantissimum, sufficientissimum pro omnium hominum animæ morbis: sed culpa hæret in illis qui

qui mortem Christi verâ fide sibi non applicant. Resp. denuo operandum esse, ut id, quod verba promittere videntur, reipsa sine dolo aut fuco præstarent. Sed si aliorum ex eadem Schola assertiones, tùm & præcedentis disputationis fundamenta, paulò penitius consideraverimus, contrarium proh dolor animadvertimus. *Piscator* qui ob candorem merito laudandus est, *vol. 1. disp. p. 188*, disertis verbis ait: hic incidit quæstio principalis; an Christus pro singulis hominibus sit mortuus, cujus quæstionis partem negativam demonstrabimus. Hæc piscat. Et in specie si quæram, numne medicina hæc spiritualis, pro omnium hominum animæ morbis sufficientissima sit? Sive an Christus sufficienter, ex ipsius Dei consilio & intentione mortuus sit, ratione meriti acquisiti tàm pro Juda, quàm Petro? affirmativè respondere salvis suis hypothesibus non poterit adversarius, sed πείζωμα hoc, de sufficientia, respectu personæ Christi considerata producit, eoq; ipso imperitis glaucoma objicit, ut ex præcedentibus constat. Atque hoc primum est, de quo agit Catechesis.

13. Secundò dicit, distinctionem sufficientiæ & efficaciæ mortis Christi, non esse sophisticum effugium, sed necessariam, ad dextram multorum explicationem. Resp. transigat ergò Catechesis cum Beza & Piscatore, distinctionem hanc barbaram, ineptam, contradictionem implicantem appellantibus. Nos hanc distinctionem orthodoxo sensu intellectam magnifacimus, & urgemus, utpote multis scripturæ locis explicandis utilem & accommodam. Quod verò applicationem Catechismi attinet, quando Christus pro omnibus seipsum dare, & mortem gustare dicitur, item pro multis &c. quomodo vox omnes, pro omnibus in mundo hominibus salvis sociorum hypothesibus, de singulorum generibus; non vero singulis generum, loca illa exponentium sumi poterit, Catechesis viderit. Caterùm quod subjungitur, nisi hanc distinctionem admittamus meritum mortis, & efficaciam divelli, ita ut meritum quidem sit Christi Jesu, efficacia autem penes homines; id autem esse Pelagiũ ex inferis revocare. Resp. de distinctis distinctè agendum & sentiendum est. Ergò meritum Christi, & efficacia à parte Dei considerata non divel-

luntur. Deus enim Christum propterea mori voluit, ut meritum illud esset efficax. Interim idem meritum, & efficacia ejusdem, respectu hominum vel credentium, sive incredulotum consideratum, utiq; hæc duo divelli possunt. Christus mortuus est pro Juda, & tamen obstante incredulitate ejusdem, Judas non sensit efficaciam, usum & fructum meriti acquisiti. Nec est quod Catechismus metuat, assertione hac ex inferis revocari Pelagium, de quo videri potest August. hæres 88. Nam non dicimus hominē hanc efficaciā propriis suis viribus posse promovere: sive efficaciam esse penes homines, quā illi propriā suā voluntate in actū deducere possint. Cum enim homo ante regenerationē in peccatis sit mortuus *Eph. 2. v. 1.* & libertas hominis post lapsū in rebus verè spiritualibus sit nulla, utiq; homo non potest esse causa efficaciæ meriti Christi. Interim licet homo mortis Christi efficaciam, & ipsam conversionē promovere nequeat; potest tamen eandem Spiritui sancto malitiosè & contumaciter resistendo impedire, ac seipsum vitā æternā indignum reddere *act. 13. v. 46.* Unde Catechesis inquit: culpa perditionis hæret in impijs. Hinc scriptura toties ingeminat: Ego volui, tu noluisti, *Matth. 23. v. 37.* Vos Spiritui S. resistitis, *Act. 7. v. 51.* elegistis quæ non volui, *Esa. 65 v. 12.* Vocavi, & renuistis *Prov. 1. v. 24.* sive ut *Jer. 7. v. 14.* dicitur, non respondistis, extendi manum meam, & contradixistis *Rom. 10. v. 12.* Id verò cum fit, meritum Christi, & efficacia, respectu applicationis hominibus factæ divellitur, sine ullo erroris Pelagiani fulcimento, ut ex hactenus dictis constat.

14. Tertiò urget Catechesis: quæstiones de mortis Jesu Christi fructu & sufficientia non esse confundendas, cum argumento de Libero Arbitrio, Prædestinatione, vel perseverantiā sanctorum. Singulas enim quæstiones suam requirere, & propriam tractationem Resp. neq; nos id facimus, sed de distinctis distinctè loquimur. In specie quod attinet mortis Christi fructum, & argumentum de Libero Arbitrio, illa nos Scripturā prævia ita distinguimus, ut pios & credentes fructum tantùm mortis Christi habere & sentire affirmemus, licet mors Chtisti pro omnibus sit præstita. Sed regerit Catechesis, repugnare veritati omnipotentis & veracissimi Dei, omnibus promittere

mittere vitam æternam, nec tamen omnes in vitam æternam ducere. Respondet pro nobis Catechesis *Th. 7.* promissiones Evangelij cum conditione fidei & pœnitentiæ datas esse. Quando ergo promissio non impletur, culpa ipsis hominibus, non Deo imputanda venit, sicuti præcedente disp. *Th. 18* uberius dictum est.

15. Nec metuendum est, nos hac ratione in Locum de Libero Arbitrio impingere. Nam ut paulò antè est indigitatum: homo quidem, ex se credere in Christum nequit, ex se tamen, & suis corruptis viribus operationem fidei, soli Spiritui sancto asscribendam impedire potest. Id dum fit, promissiones divinæ, à parte Dei validæ, in ipsis hominibus non habent salutarem effectum, quem propriâ hominum malitia impedit. Quid de sanctorum perseverantia statuamus, suo loco & tempore, si Deus voluerit, dicemus copiosius. Breviter, hominem pium fidei naufragium facere, *1. Tim. 1. v. 19*, & à gratiâ Dei excidere, *Gal. 5. v. 4.* sive deficere posse, *Hebr. 12. v. 15.* exemplum Davidis. *2 Sam. 11. v. 2. & seqq* Salomonis *1. Reg. 11. v. 4.* & aliorum testantur.

16. Cæterùm quod dicitur Th. 7 sufficiens quidem est mors Christi tibi, si credis; si autem non credas, sufficiens quidem manet, & dignissima in se mors Christi, sed tibi non applicatur. Hic si adderetur, quod sufficientia illa etiam respectu divinæ intentionis & consilij æstimetur, & non solùm, ut paulò antè dictum est, ratione dignitatis personæ Christi, tum orthodoxa hæc esset assertio, quam hactenus, partim hac, partim præcedentibus disputationibus contra adversarios defendimus.

17. Præmissis hisce tribus jam examinatis assertionibus, progreditur Catechesis ad argumentorum nostrorum examen. Quia verò ad quædam præcedentibus disputationibus responsum est, illa ne actum agamus, non attingemus. In specie respondet Catechesis ad locum *Rom. 5. v. 18 19.* ex quo textu clarissimo, omnes alienas glossas suâ claritate dispellente solemus probare, latitudinem Injustitiæ ab Adamo introductæ, & Justitiæ, ratione acquisitionis consideratæ, à Christo restitutæ, respondet inquam Catechesis, in collatione esse multa dissimilia. Et primò quidem Adamus posteris,

ex

ex naturali propagatione ex se ortis communicat, quod habet: at secundus Adamus progeniei ex se non naturali, sed supernaturali dono gratioſè ortæ, ſuam vim communicat. Reſpondeo, concedimus, imò ſuo loco & tempore contra Bellar. urgemus, collationem ab Apoſtolo inſtitutam non reſpicere Juſtitiæ modum, ob multa abſurda; ſed tantùm objecti latitudinem, ſicuti ex clariſſimis Apoſtoli verbis colligimus; παράπτωμα εἰς πάντας ἀνθρώπους: δικαίωμα εἰς πάντας ἀνθρώπους. Item: inobedientia unius hominis peccatores conſtituti ſumus *multi*, id eſt omnes: obedientia unius huminis, juſti conſtituentur *multi*, id eſt omnes, ſicuti exprædcedente verſu videre eſt.

18 Deinde alteram Catecheſis diſſimilitudinem producit: quod primus Adam peccatum, mortem & damnationem adfert, ſecundus Juſtitiam: & vitam æternam communicat Reſpond bene eſt, textus autem utrobiq; addit, utrumq; *omnibus hominibus* eſſe acquiſitum, ſicuti è textu antea probavimus. Tertiò dicit Catecheſis, unica primi Adami inobedientia, & transgreſſio, omnes ſuos poſteros perdidit. Adami ſecundi obedientia, non unicam inobedientiam, non unicum peccatum, ſed omnia peccata tollit. Reſpond. Si Chriſtus omnia peccata tollit, noſtra aſſertio, pro quâ obtinendâ hactenus militavimus, eſt vera: Chriſtum ſcil. eſſe redemptorem, ratione meriti aquiſiti univerſalem, non particularem; quod tamen Catecheſis diſputatione præcedente argumentis affirmare voluit. Et conſideret quis, numne illa mutuò ſubſiſtant? Chriſtus nullo unquam temporis momento redemit ſanguine ſuo impios. Et Chriſtus tollit omnia peccata: utrumq; dicit Catecheſis. Certè ſi Chriſtus non redemit incredulos, quorum eſt maxima pars in mundo. utiq; non ſuſtulit ſatisfactoriè omnia peccata, vel ſi omnia peccata ſuſtulit, utiq; etiam pro impijs ſanguinem fudit.

19. Ex hactenus allatis diſſimilitudinibus jam infert Catecheſis. Paulum non docere, Chriſti obedientiam eſſe efficacem in iis, qui non accipiunt, neq; credunt. Reſpondeo, eſt ambiguitas in phraſi: obedientia Chriſti eſt efficax. Vel enim intelligitur efficacia à parte hominum, & hoc reſpectu, nemo dixit, neq; dicet meritum Chriſti eſſe

sti esse efficax, id est applicari ijs, qui non credunt: vel efficacia illa æstimatur à parte Dei, Christum pro omnibus hominibus mori volentis. Et hoc respectu cum Apostolo rectissimè dico: Justificatio, ratione scilicet meriti Christi acquisiti, propagatur in omnes homines: & obedientia unius, justi constituentur multi, id est omnes, sicuti paragrapho præcedente, inobedientia unius, peccatores constituti sumus multi, id est omnes conf. v. 12. Ex his ergò patet, quo respectu, dextrà adhibità explicatione, meritum Christi omnibus hominibus efficax esse possit.

20. Pergit Catechesis verum loci Paulini sensum exponere, ita dicens: sicut extra Adamum primum, nemo peccator existit: sic extra Adamum secundum, neminem justificari & vivificari. Hunc sensum Pauli confirmari ex *v. 15. 16. 17.* & ex scopo, & cohærentiâ totius capitis. Respondeo, cum textum accuratius consideramus, de duobus imprimis agit quod Adamum secundum, id est Christum attinet. 1. Quotquot exuberantiam gratiæ & doni justitiæ accipiunt, verâ scilicet fide *Joh. 1. v. 12.* in vitâ regnabunt per unum Jesum Christum *v. 17.* Hinc rectè colligit Apostolus, extra Adamum secundum, neminem justificari, *v. 15. 16. 2.* Assertum hoc prius Apostolicum, non tollit alterum *v. 18. 19.* Verè enim cum Paulo dico: sicuti inobedientia Adami transiit in omnes homines: ita obedientia Christi præstita est pro omnibus. Licet ergò soli pij accipientes justitiam verâ fide, tantùm salventur, *v. 17.* hinc tamen vitiosâ consequentiâ infertur, & quidem contra diserta verba Apostoli: meritum & obedientiam Christi omnibus non esse acquisitam. Particularis itaque meriti Christi applicatio, acquisitionis particularitatem minimè infert.

21. Objicit autem Catechesis auctoritatem *Augustini & Ambrosii*, qui locum *Rom. 5.* ita exponant, sicuti adversarij assolent. Sed miror Catechesin uti auctoritate humana, quæ tamen scire debebat, quid propriæ religionis homines huic discursui tribuant. *Wittackerus contra Duræum p. 144.* inquit: Hæc tua est Patrum ἀναβίωσις, si Patres reviviscerent, errores suos agnoscerent, & vestram impertunitatem suâ auctoritate coercerent, vivi sese multa ignorare

professi sunt, Et de Scripturæ perfectione *cap. 12.* in initio idem ait, contra Ballarm: cavendum est, ne nimium Patribus tribuamus cum Papistis, sed in illis legendis jus nostrum libertatemq; tueamur, & omnia illorum dicta, ad Scripturæ normam examinemus, cum qua si consentiant, recipiamus; sin verò dissentiant, bonâ cum illorum veniâ libereq; respuamus. Quâ dicente *D Crocio* contra Bellar: & *Palano Lib. 1. cap. 45.* de Interpretatione Scripturæ, Patres 1. in exponendâ Scripturâ, infinitâ penè varietate laborant. 2. à vero Scripturæ sensu aberrant 3. & non rarò secum pugnant; quod Polanus allegato loco, ex ipso Bellar probat. Unde concludit *Wi take*, loco supra allegato. Si essent nobis infesti Patres, nec iis respondere possemus, non tamen hoc lædere causam nostram deberet, quia fides nostra non ex patribus, sed ex Scripturis pendet.

22. Quod ergò in specie Augustinum attinet, dico cum B Chem. oratione de lectione Patrum, *p. 24.* Augustinum qui cum fructu legere vult, observandum, ipsum piè quidem sentire, sed tamen loqui suo more; quia se accommodat ad disputationes & certamina. Si Augustini tempore hæc mota fuisset controversia, cautius fine dubio locutus fuisset. Quia enim *Augustinus Lib. 6. cap. 12.* contra Iulianum, Item *Lib. de Nat. & Grat. cap. 48. Epist. 28.* negotium erat cum Pelagianis, id solùm agebat. quod præsentis controversiæ scopus requirebat, neminem scil. justitiam habere extra Christum. Quæ aliàs Augustini in hâc materiâ fuerit sententia, ipse disertis verbis exponit, in articulis falsò sibi impositis. 1, 2. *Ambros. comment. ad Rom. 14. cap.* nobis non repugnat. Dicit enim: quantum valeat salus fratris, ex morte Christi cognoscitur. Itaq; qui scit, quantum confirmare illum debet, non scandalizare. Item in *1. Cor. 8. cap.* inquit: tu eris occasio mortis fratris, quem Christus ut redimeret, crucifigi se permisit. Quæ Ambrosii verba pro nobis, non contra nos militant.

23. Sed nondum quievit Catechesis. Dicit enim 1. licet obedientia Christi solos credentes respiciat, imò quamvis Adamus secundus vel unum redimeret, fortior tamē esset Adamo primo, quia facilimum

mum est mille occidere & perdere, sed difficillimum, imo & impossibile nudæ creaturæ, suâ vi propriâ uni vitam restituere. Respond. non est in quæstione, unde fortitudo Adami secundi appareat. Facilè enim concedimus, illam non ex salvandorum numero, sed divinâ virtute, esse mensurandam. Verùm id quæritur, cum Scriptura disertis verbis asserat: sicuti unius delictum derivatur in omnes: ita unius justificatio, ratione meriti acquisiti, propagatur in omnes, Item: per hominem mors, per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodum enim per Adamum omnes moriuntur, ita per Christum omnes vivificabuntur *1. Cor. 15. v. 21. 22.* Sed regeritur, Apostolum loqui de salutari resurrectione à mortuis, ob *v. 23.* Respondeo, licet quidam sint, etiam ex nostratibus Theologis; non tamen sensu & intentione adversariorum, arbitrantes, hic solum agi de resurrectione piorum, tamen quod venia illorum fiat, puto Apostolum principaliter quidem omnia sua argumenta dirigere ad resurrectionem piorum; non tamen exclusâ omnino resurrectione impiorum, quæ licet pœna sit, & non beneficium, dicitur tamen ἀνάστασις κρίσεως resurrectio judicii, ὕνε condemnationis *Joh. 5. v. 29.* quam quia Apostolus certò credebat: *Act 24. v. 15.* ideo generali negationi quorundam Corinthiorum, generalem opponit affirmationem. Quidam Corinthiorum non solùm negabant resurrectionem piorum, sed in genere mortuorum *v. 12* Quod ergò contradicentes Apostolo contra Scripturam negabant, id totum Apostolus prævia Scriptura affirmat; fore scil. resurrectionem mortuorum. *v. 13. 15.* quia veniet hora, in qua omnes, qui in monumentis (quæ περιφρασις non solos concernit pios) sunt, audient vocem Christi *Joh. 5. v. 28.* Et si Paulus non loqueretur generaliter, refutatio illius tantùm esset ex parte, & non ex toto. Tum & medius terminus Apostoli esset angustior quæstione controversa probanda. Quæstio est, an detur resurrectio mortuorum? id affirmaret Paulus ex hypothesi aliorum loquendo, quia pii resurgent. Unde constat, textum optimè de universali ad pios respectu; utpote qui solùm consolationem ex resurrectione

habituri sunt. impii verò, non dari ullam resurrectionem, ex animo optarent, v. 23. indicat, solùm fore resurrectionis ordinem, qui resurrectionis universalitatem non tollit, ut res ipsa loquitur. Et si auctoritatibus certandum esset, Ambrosium produceremus disertis verbis dicentem, Apostolum de generali loqui resurtectione; verba ejus in 1. Cor. 15. hæc sunt: Quamvis ergo generalem tribuerit resurrectionem, ut sicut in Adam omnes, sive justi, sive injusti moriuntur: ita & in Christo omnes, tàm credentes, quàm diffidentes resurgant, licet ad pœnam; increduli tamen vivificari videntur, quia corpora sua recipient, jam non morituri, sed passuri pœnam, quod credere noluerunt.

24. Progreditur Catechesis dicendo: omnes idem sæpe esse quod credentes, & notare singulorum genera, non singulos generum *Joh. 6. v. 45. Luc. 21 v. 17. Matth. 5. v. 13.* Respond. non negamus pro subjectâ materiâ id sæpe fieri; verùm à particulari fit illatio, quæ est omnium infirma, nisi simul probetur, idem fieri in illis locis, ubi Christus pro omnibus mortuus esse dicitur, quæ loca prioribus disputationibus sunt examinata.

25. Vocem mundi non semper pro impiis & incredulis, sed etiam pro piis & credentibus, qui sunt mundi totius, id est omnium hominum pars pretiosissima, nobilissima summi. Respond. ex professo hac de re dictum est disputatione prima Thes. 35. & sequentibus, ubi loca à Catechesi allegata sunt discussa. Atqui hæc sunt primaria effugia, disputatione allegata producta: cætera præcedentibus disputationibus refutata sunt. Jam placet aliorum considerare argumenta meriti universalitati opposita, & primo quidem *Polani*. Selectum autem instituemus, omissis antea prioribus disputationibus, & Scripturæ locis.

26. Polanus, itaq; probaturus Christum pro solis verè credentibus & electis esse mortuum. (1) in acie collocat locum *Apoc. 14. v. 3. 4.* Ex quo si argumentum formaretur, tale esset. Qui empti sunt de terrâ, pro illis tantùm Christus est mortuus, At centum & qua

quadraginta quatuor millia emta sunt de terrâ Ergò pro illis tantùm est mortuus. Respond. ipse Pareus in h. l. fatetur sermonem esse de plenitudine redemtionis, quæ reservetur futuræ vitæ. Iam verò nulla est sequela, incredulis beneficii redemtionis consummati, i. e. solis electis in alterâ vitâ conferendi participes non redduntur. Ergò Christus pro illis non est mortuus. Nam negatio fructus passionis, non negat ipsam passionem.

27. *Pareus* responsionem hanc in *cap.* 14 Apoc. anteversurus ex August. respondet: quantum ad amplitudinem pretii, omnes dici redemptos. Sufficere enim pretium omnium redemptioni, si omnes fide beneficium oblatum acciperent. Respondeo Augustinus allegato loco *art.* 1. falsò sibi impositio, non loquitur de amplitudine pretij, sensu Calvinistico, sed orthodoxo, & nihil aliud intelligit, quàm ipsam Christi satisfactionem, non paucis solum credentibus & electis acquisitam, sed toti mundo partam. Quod ex ipso patet Augustino, Art culus 1. falsò ipsi impositus, fuit assertio Calvinistica, quam refutat; verba hæc sunt: Dominum nostrum Jesum Christum non pro omnium hominum redemptione esse passum. Respondet contra vulnus originalis peccati, quo in Adam omnium hominum corrupta & mortificata est natura & unde omnium concupiscentiarum, & potens & singulare remedium est mors filii Dei Domini nostri Jesu Christi; observanda hic est universalitas morbi, & universalitas remedij. Deinde progreditur Augustinus: quod ergo ad magnitudinem & potentiam pretij. & quod ad unam pertinet causam generis humani, sanguis Christi redemptio est *totius mundi*. Et paulò post dicit: omnes redempti rectè dicuntur, non tamen omnes captivitate eruti. Quid clarius pro sententiâ nostrâ dici potest? cum Augustinus nostrâ distinctione inter meriti Christi acquisitionem, & inter usum & fructum, aliis verbis exponat omnes, inquit, sunt redempti, sed non omnes captivitate eruti. Quod clarius Articul. 2 exponit dum ait: syncerissimè credendum est, atque profitendum. Deum velle, ut omnes salvi fiant. Ex quibus quod multi pereunt, pereuntium est meritum, quod multi salvantur salvantis

est donum. Augustini itaq; sententia fuit, Deum velle, ut salvi fiant pereuntes. Ergò utriq; Christus pro pereuntibus quoq; satisfecit.

28. (2) Ita colligit Polanus: ad quos pertinent fines & effectus mortis Christi, pro ijsdem solis mortuus est Christus. At fines & effectus mortis Christi ad solos pertinent credentes. Ergò. Et addit Polanus: quis ignorat manumissionem à peccati servitute, vindicationem à mortis æternæ tyrannide &c. ad solos pertinere verâ fide præditos. Incredulí enim non sunt jugo peccati exemti, non à mortis perpetuæ vinculis soluti, non vitæ restituti, non anxio mortis metu liberati, &c. Respond confundit Polanus fines & effectus mortis Christi, ratione divinæ intentionis consideratos, cum finibus & effectis ratione hominum applicationis æstimatis. Major, si intelligatur de finibus applicativè consideratis, falsissima est. Christus enim non pro illis solis est mortuus, qui meritum ipsius verâ fide sibi applicant; ut ex præcedentibus disputationibus constat. Minor, de finibus mortis Christi, respectu divinæ intentionis consideratis, itidem falsa est. Soli quidem credentes meriti Christi fructum participant; interim tamen pro ijsdem solis Christus non est mortuus. Et ut distinctio illa, de diversa finium mortis Christi consideratione, alijs exemplis biblicis illustretur, nonnullis Scripturæ locis eam dilucidabimus. Baptismus dicitur interrogatio bonæ conscientiæ, & salvos facere homines 1. Pet. 3. v. 21. Item Baptismo induimus Christum, Gal. 3. v. 27. abluimus peccata, Actor. 22. v. 16. & remissio peccatorum illo nobis offertur, Act. 2. v. 38. Baptizamur itaq; ob hos fines obtinendos, valetne sequela? solis pijs & credentibus fines Baptismi applicantur. Ergò ad incredulos & hypocritas Baptismus, cum suis finibus, ex divinâ intentione non pertinet. Et consequenter non sunt baptizandi. Contrarium dicitur de impijs Phariseis à Johanne non baptizatis, quod Dei consilium, de conferendis Baptismi finibus, spreverint Luc. 7. v. 30. Et jubentur Apostoli baptizare omnes gentes, Matth. 28. v. 19. Ergò ex Dei intentione, jussi quoq; sunt fines illos Baptismo competentes applicare. Quamvis autem obstante propriâ malitiâ & incredulitate, finium applicatio actualis in multis facta non sit; inde tamen à parte Dei

illos

illos non esse intentos pessimè concluditur. Sic finis Evangelij est hominum salus *Jac. 1. v. 21.* Est enim potentia Dei ad salutem omni credenti *Rom. 1. v. 16.* Ille verò finis tantùm obtinetur in credentibus. Ergone Deus proponens per suos ministros impijs verbum, non intendit illos fines, quamvis actus non sequatur? Non aliter, licet impij, ob propriam malitiam & incredulitatem, à morte æterna non vindicentur, vitæ non restituantur, à formidine mortis, actu non liberentur, à peccati jugo, quoad fructum & applicationem non eximantur; interim tamen Deus hos fines omnes intendit *Luc. 1. v. 79. Hebr. 9 v. 14. Tit. 2. v. 14. 1. Thess. 4. v. 7. 2. Cor. 5. v. 15.*

29. (3) Argumentatur Polanus hoc modo: quibus applicatur consolatio ex morte Christi proveniens pro illis solis est mortuus. At filiolis, id est verè credentibus applicatur consolatio, ex morte Christi proveniens. *1. Joh. 2. v. 2.* Et subjungit Polanus, quomodo solidam consolationem, ad pacandam conscientiam inde hauriet is peccator, qui audit, etiam pro incredulorum & damnatorum peccatis propitionem esse Christum? Respond. argumentum consolatorium nihilominus est, & manet firmissimum, quia robur & nervus consolationis, ratione pioruni, non residet in meriti Christi acquisitione solâ, impijs quoq; communi, sed imprimis applicatione, usu & fructu, cujus increduli non sunt participes. Verbi gratia *2. Par. 36. v. 23* proponitur liberatio universalis omnium Judæorum ex captivitate Babylonicâ, verùm plurimi manserunt in eadem Sequiturne? soli illi revertentes in patriam habuerunt consolationem. Ergò liberatio non fuit universalis. Inspecie ad locum Johanniticum respondeo, fundamentum consolationis esse hoc: Christus est propitiatio totius mundi, cujus usus & fructus applicabitur credentibus, quorum propterea Christus est gratiosus Advocatus apud Patrem, illos quippe in se credentes tuetur, & contra Satanam defendit, ut nulla in eis sit damnatio, licet ex infirmitate carnis peccent. Hæc jam dicta, similitudine aliqua illustrari possunt: sint mille homines. Turcica captivitate detenti, pro omnibus detur sufficiens λύτρον, omnibus profuturum; multis non placeat actualis è captivitate dimissio. Hinc ne infertur, illos è

captivi-

captivitate dimissos nullam habere ex liberationis fructu consolationem? quia λύτρον est universale. Ex jam dictis constat, argumentum consolatorium esse & manere validum, licet ἱλασμὸς Christi sit universalis.

30. (4.) Infert pro quibus vetat Johanes rogare, pro eorum peccatis Christus non est propitiatio. Pro peccantibus ad mortem Johannes vetat rogare *1. Joh 5. v. 16.* Ergo pro illorum peccatis non est propitiatio. Respond. locus hic agit, ut Calvinus loquitur, de apostasiâ, qua penitus homines à Deo se alienant, quam alij, ut Beza, peccatum in Spiritum S. vocant, pro illo non est orandum, ob universalem pro lapsum omnem resipiscentiæ veniam denegantem; sed numne hinc sequitur, quod Polanus colligit? minus est pro alio orare, quam mori. Si igitur Johannes noluit preces pro illis fieri, multò minus Christus pro illis mori voluit. Respondeo, non solùm hoc in loco, sed & *Jer. 7. v. 16. c. 11. v. 14. c. 14. v. 11.* prohibet Deus orationem fieri pro populo malitiosè & contumaciter peccante. Indicatur itaq; ubi non sit pœnitentia, ibi divinæ locum non esse clementiæ; sed num hinc sequitur, totum hunc populum singulariter à Deo electum *Deut. 7. v. 6.* non habuisse Christum redemptorem? Contrarium patet ex typo *Lev. 16. v. 21.* In specie, peccatum in Spiritum S. non excludere redemptionem à Christo acquisitam, constat ex *Hebr. 10. v. 26. 29.* Proinde vacillat collectio: minus est orare, quàm mori, & si preces fieri non debent pro peccante in Spiritum S. Ergò nec Christus mortuus est pro illo. Non enim hic respicimus, quid majus, quid minus sit, sed quid dicat veritas, *Joh. 17. v. 17.*

31. (5.) Pergit Polanus: si Christus esset propitatio pro peccatis eorum, qui tamen damnantur, potentius esset peccatum ad damnandum, quàm gratia propitiationis ad salvandum. At posterius est absurdissimum. Respondeo, in negotio salutis ex multitudine damnandorum non debet, nec potest inferri major potentia; aliàs Diabolum Deo potentiorem esse colligerem, quia numerus damnandorum, prohdolor, major erit numero salvandorum. *Matth. 7. v. 14. c. 22. v. 14.* Salutis ergò nostræ negotium certæ

certæ τάξεως & ordini inclusum est. Quem ordinem si quis constanter observat, salvatur *Luc. 11. v. 28. Act. 13. v. 48. 1. Cor. 1. v. 18* Qui verò eundem neligit, damnatur. Quamvis ergò Christus sit ἱλασμὸς totius mundi, & λύτρον dederit pro omnibus hominibus; & tamen totus mundus, & omnes homines non salvantur, hinc nulla à parte Dei impotentia, sed solùm à parte hominum, media divinitus ordinata contemnentium, malitia infertur. *Matth. 23. v. 37.* Deus enim hîc non agit secundum potentiam absolutam, sed ordinatam, ut constat ex *Matth. 22. v. 8. cap. 23. v. 37. Lu. 14. v. 18.*

32. (6.) Si per mundum intelliguntur promiscuè omnes homines, pugnaret secum Apostolus Johannes. 1. *Eph. 6. 5. v. 19.* dicens: totus mundus in malo jacet. Num etiam credentes jacent in malo; Respondeat pro nobis ipse Polanus sui ipsius immemor, argumentum hoc nobis opponens *Lib. 5. Syntag. cap. 7.* mundus est nomen homonymum; interdum intelliguntur nomine mundi soli non regenerati, infideles & reprobi, interdum omnes in genere, quoquot naturaliter ab Adamo propagati sunt. Homonymia igitur vocis mundi si rectè observetur, argumentum Polani nobis objectum per se corruet.

33. (7) Qui est propitiatio credentium, ille non est propitiatio incredulorum. At Christus est propitiatio credentium *Rom. 3. v. 25.* Ergò non est propitiatio incredulorum Respondeo, Minor exclusivè intellecta est falsa. Quod autem attinet allegatum locum *Rom. 3. v. 25.* agitur ibidem de propitiatione applicata; non verò præcisè acquisita. Sermo enim est de justificatione, quæ hominum respectu non fit sine actuali fide. Proinde non valet consequentia ἱλασμὸς, quo homines coram Deo verè justificantur, semper includit fidem. Ergò quando Christus dicitur ἱλασμὸς pro peccatis totius mundi, illud fieri nequit sine fide. Quia itaq; hæc diversa sunt; non sunt confundenda. Fides non constituit ἱλασμὸν Christi, licet eundem faciat à parte hominum salutarem,

34. (8) Qui in luce ambulant, & communionem habent cum Deo mutuam purgantur à peccatis, per sanguinem Christi 1. *Joh. 1.*

v. 7. At soli pii in luce ambulant, & communionem habent cum Deo. Ergo soli pii purgantur à peccatis, per sanguinem Christi. Respondeo, sano sensu concedi potest totus Syllogismus; quatenus scil. purgatio à peccatis notat usum seu fructum meriti Christi. Nulla verò est consequentia: soli pii & credentes purgantur à peccatis, id est, sentiunt usum & fructum meriti Christi. Ergò Christus tantum pro credentibus est mortuus. Fit enim confusio rerum distinctarum, mortis scil. Christi, & ejusdem fructus. Quæ duo tamen ut latius & angustius differunt.

35. (9.) Qui non exaudiuntur à Deo, pro eorum peccatis Christus non est propitiatio. Peccatores impœnitentes non exaudiuntur à Deo. Ergo pro peccatorum impœnitentium peccatis Christus non est propitiatio. Respondeo, Major continet τὸ κείμενον. Nam si absque ullâ limitatione verum esset: quem Deus non exaudit, pro illo Christus non est mortuus, subsumerem *Deut. 3. v. 26.* Jehova non exaudivit Mosen, nec Paulum *2. Cor. 12. v. 9.* Ergòne inferrem Christum pro illis non esse mortuum. Et licet distinctio quæpiam rerum petendarum dari queat; nec sic tamen tollitur instantia. Nam Paulus ante conversionem Saulus dictus, quando adhuc minas & cædem adversus discipulos Domini spirabat *Act. 9. v. 1.* atq; sic propriâ confessione blasphemus & persecutor & violentus *1. Tim. 1. v. 13.* sine dubio fudit preces. Nam juxta justitiam externam legalem dicitur fuisse ἄμεμπτος *Phil 3. v. 6.* utpote κατὰ ἀκρίβειαν in lege patriâ institutus, sectator fuit Dei, sicuti cæteri Pharisæi *Act. 22. v. 3.* Anne tum Paulus, sive potius Saulus impœnitens, à Deo fuit exauditus? Si dixeris, utiq; quia postmodum est conversus. Responsio: non puto quemquam adversariorum, ita fore audacem, ut extraordinariam Pauli conversionem soli divinæ misericordiæ asscribendam, precibus illis ante conversionem fusis attribuat. Manet ergò Majorem esse falsam; quia diversissima sunt: Christus est propitiatio pro peccatis totius mundi. Et Deus non exaudit peccatores, ob illorum impœnitentiam.

36. (10.) Omnes promissiones Evangelij sunt intelligendæ cum

cum conditione fidei. At promissio meriti Christi est promissio Evangelij. Ergò est intelligenda cum conditione fidei. Christus igitur, concludit Polanus, est propitiatio pro peccatis cujusq; peccatoris si videl. cum fide recipiat. Respondeo, confundit Polanus promissionem Evangelij absolutè consideratam, cum promissionis fructu. Promissiones Evangelij absolutè, & in se consideratæ, à parte Dei, non dependent à fide nostra. Quod clarissimè constat è doctrinâ Sacramentorum promissionem Evangelii habente. illa integra, & in se perfecta esse potest, licet fides hominum Sacramentis utentium non accedat. Unde *August.* quem magni faciunt adversarii *Lib. 3. cont. Donat. cap. 14.* inquit: non interest cum de Sacramenti integritate & sanctitate tractatur, quid credat, & quali fide imbutus sit ille, qui accipit Sacramentum, interest quidem plurimum ad salutis viam, sed ad Sacramenti quæstionem nihil interest. Fieri enim potest; ut homo integrum habeat Sacramentum, & perversam fidem. Quod si itaq; fides non facit, neq; constituit promissionem ipsam Sacramentorum, quæ tamen est Evangelica; illa tamen data fuit incredulis semet ipsos, vitâ illâ æternâ indignos judicantibus *Act.* 13. v. 46: Quamvis ergò promissionum Evangelicarum usus seu fructus à fide dependeat; ipsa tamen promissio fidei non est alligata, sed unicè Deum promissiones suas omnibus offerentem respicit. Quando ergò Scriptura locis à Polano allegatis, *Gal. 3. v. 22. Act. 16. v. 4. Joh. 1. v. 12.* fidei mentionem facit, non ideo fit sensu, quasi fides promissiones constituat sed quod easdem salutares reddat, ut inspectio locorum docet. Manet itaq; immotum, promissiones ipsas Evangelicas à parte Dei consideratas, non habere esse suum à fide hominum; licet fides id efficiat ut promissiones hominibus prosint. Conf. Act. 18. v. 5. 6.

37. (11.) Tandem concludit Polanus hoc modo: si Christus est propitiatio totius mundi, & solùm verbis totius mundi insistimus; concludendum erit, etiam pro Diabolis, asinis, equis, bobus, leonibus, vaccis, & cæteris creaturis omnibus Christum propitiationem esse factum. Nomine enim totius mundi si τὸ ἡητὸν urgeas,

non

non significantur solùm homines, sed tota hæc machina, cum omnibus creaturis, quæ in illa sunt, ut boni & mali angeli, cœlum, terra, aqua &c. sicut dicitur *Joh. 1. v. 10.* Mundus per ipsum factus est. Respondeo, audivimus antè ipsum Polanum. Homonymiam in voce mundi agnoscentem & explicantem, quam si hoc loco prudenter applicaret, non ita crassè & turpiter, de rebus hisce spiritualibus differeret. Quis enim ita colligeret: mundus aliquando notat totam hanc machinam, cum rebus omnibus creatis, cùm rationalibus, tùm irrationalibus. Ergò quando Christus dicitur propitiatio totius mundi, illa obtinet acceptio. Cur Polanus Evam non solùm hominum, sed & brutorum viventium matrem esse non affirmat, quia *Gen. 3. v. 20*, illa dicitur אֵם כָּל־חָי mater omnium viventium: vel ex *Marc. 16. v. 15.* anatibus & anseribus, cum Franciscо & Dominico: vel suibus, cum Antonio, Evangelium esse annuntiandum probat, cum Apostoli mandatum habeant, (quod etiam executi sunt, *Col. 1. v. 23.*) omnibus creaturis prædicandi Evangelium. Res ergò ipsa clamat, propitiationem hanc referendam esse, non ad angelos, neq; alias creaturas irrationales, sed solum hominem, quia illius solius naturam assumpsit *Hebr. 2. v. 16.* ut inter homines Deum offendentes, Mediator esset Christus homo, Deum offensum effusione sanguinis sui innocentissimi placans. *1. Tim. 2. v, 5. Col. 1. v. 14. 20. 22.*

38. Atqui hæc palmaria Polani argumenta sunt, quibus veritatem hanc: Christum pro omnibus hominibus esse mortuum, obnubilare attentat. Piscatoris argumenta pleraq; in præcedentibus disputationibus examinata sunt; placet interim quædam repetere, propter syllogismorum formas, quibus suam sententiam inclusit. Ita argumentatur *vol. 2. disp. Th. 59.* pro quibus Christus se obtulit, pro ijsdem quoq; oblaturus sese oravit. Non autem oravit pro mundo *Joh. 17. v. 9.* Ergò nec pro mundo se obtulit. Propositionem syllogismi confirmat, quod duo sint summi Sacerdotis officia, scilicet pro Dei populo offerre, & pro eodem orare. Respondeo, sunt quatuor termini in syllogismo. Major enim loquitur de oratione, quam Christus ut Pontifex & Sacerdos fudit in genere, pro

crucifi-

crucifigentibus sese *Luc. 23. v. 34.* Minor de oratione speciali agit, qua Christus pro impio mundo pertinaciter sese illi opponenti *Joh. 8. v. 7.* voluntate consequente preces non fundit. Vide quæ *disp. 10. th. 26.* ad hoc argumentum responsa sunt.

39. Deinde Piscator ita colligit: quorumcunq; est Christus Servator suo merito, eorundem Servator est sua efficacia: efficiendo scilicet in illis per verbum, & Spiritum sanctum fidem, quâ meritum ipsius apprehendant, sibiq; applicent. Atqui Christus non in omnibus efficit fidem. sed in solis electis. Ergò nec omnes suo merito servavit, sed solos electos. Respondeo, repetendum esse quod dictum est. *Th. 3. 10.* hujus disputat & *disp. 10. Th. 2.* ubi mortis Christi efficaciam, vel à parte Dei, vel à parte hominum considerari dictum est. Quando autem Deus in omnibus non efficit fidem, culpa non est Dei, omnes credere volentis *Act. 17. v. 30. 31.* sed hominum, media credendi fastidientium. *Luc. 14. v. 18* vel non legitimè adhibentium *Rom. 9. v. 30. 31 32.*

40. Tandem ipsius Wendelini breviter percurremus argumenta, quæ loco de Prædestinatione cap. 12. Et *Lib. 1 cap. 17.* Christianæ Theologiæ proponit (1.) ex *Esaiæ 53. v. 11.* ita concludit: eorum saltem iniquitates Christus bajulavit, quos cognitione sui justificat. At cognitione sui multos, non omnes justificat. Multorum igitur, non omnium promiscuè iniquitates bajulavit. Propositio è textu Prophetæ manifesta est, in quo expressè restringit satisfactionem Christi ad eos, qui cognitione Redemptoris justificantur. Justificabit, inquit, cognitione sui multos. Quos verò multos? quorum iniquitates bajulavit. Respondeo, ipse Calvinus fatetur in expositione hujus loci, verba allegata continere beneficium mortis Christi, verba ejus sunt; nunc autem ad percipiendum mortis suæ fructum Evangelij doctrina nos invitat. Jam in præcedentibus ad nauseam dictum est, mortis Christi fructum esse vitio hominum particularem. Inde verò non sequi fati factionis; sive meriti Christi à parte Dei considerati singularitatem. Et cur Wendelinus ex textu Prophetico non ita colligit: qui sicut pecus עתה errarunt, & in viam suam declinarunt, illorum Christus peccata portavit. Atqui omnes homines sicut pecus errarunt *Psal. 14. v. 3. Rom. 3. v. 12.* Ergò Christus omnium

Illorum peccata portavit. Major est in textu. Minor est ipsius experientiæ & Scripturæ. Unde Calvin. in h. l. ait: neminem hic excipi videmus, cum Propheta omnes comprehendat. Totum enim genus humanum perierat. Et Oecolampadius inquit: hic manifestè apparet, nullum esse absq; peccato, & omnes nos (peccato obnoxios) opus habuisse Redemptore. Ut igitur in specie argumento Wendelin. respondeamus, negamus illius fundamentum, cui tamen unicè innititur, scilicet meritum Christi respectu acquisitionis consideratum restringi solùm ad eos, qui cognitione Christi justificantur. Licet enim Christus, teste Propheta, pro peccatis errantium, & suo arbitratu, ut Calv. loquitur, viventium (quæ est omnium hominum, non solorum electorum periphrasis) mortuus sit, non tamen omnes, sed tantùm multi cognitione ejus justificantur. Justificationis verò particularitatem, meriti Christi particularitatem non inferre, ante dictum est. Et observandæ sunt in textu verborum emphases כֻּלָּנוּ כַּצֹּאן omnes erravimus. Et subjungitur: incurrere fecit Jehova iniquitatem כֻּלָּנוּ omnium nostrum, scilicet errantium; verùm, quando infra dicitur, in scientiâ sui justificabit servus meus justus, non utitur voce omnis, sed רַבִּים multos. Ex omnibus ergò errantibus, quorum peccata Christo à Deo sunt imposita, multi tantùm, obstante propriâ malitiâ, sunt justificati.

41. (2) Producit Wendelinus alterum è versu 12. primo, suppetias, ut loquitur, ferentem arietem. Qui Christo sunt dati, & pro quibus intercessit, eorum etiam peccata pertulit. At aliqui saltem sunt Christo dati, non omnes promiscuè reprobi & electi: pro aliquibus saltem intercessit, non pro omnibus promiscuè. Ergò aliquorum saltem, non omnium promiscuè peccata pertulit. Majorem & Minorem ex allegato versu confirmat. Respond. Calvinus ad hunc locum inquit: Christo totius mundi reatum esse impositum. Hoc ergò respectu non quidem solùm, sed & omnes Christo sunt dati. Id ut rectè percipiatur, Christo à Patre dati, cùm scriptura, distinguendi sunt: vel enim intelligenda datio redemptionis, quæ est universalis, *Psal. 2. v. 8. Joh. 3. v. 16.* vel Apostolatus. *Joh 16. v. 12.* quæ est tantùm duodecim *Joh. 6. v. 7. Luc. 6. v. 13.* vel electionis *Joh. 6. v. 37. & 7. v. 9.* Et sic omnes illi finaliter credituri Christo tantùm

sunt

sunt dati *Joh. 17. v. 20. 1. Tim. 1. v. 16.* In hac, quam sub manibus habemus materiâ, prima intelligitur datio, quæ est redemptionis, & illa est universalis totius mundi, sicuti Christus universalis omnium hominum *1. Tim. 4. v. 10.* sive mundi, Servator dicitur *Joh. 4. v. 42. 1. Joh. 4. v. 14.* utpote qui pretium redemptionis dedit, pro omnibus hominibus *1. Tim. 2. v. 6.*

42. Christum pro quibusdam, sive tantùm electis intercessisse, textus refutat. Dicit enim pro prævaricatoribus, vel ut Bullingerus loquitur, persecutoribus, sive ut Beza ait, hostibus, intercedit, illis nimirum explicante Piscatore in h. l. qui eum crucifixerunt. Num autem illi omnes electi? Unde argumentatio est evidens. Qui intercedit pro persecutoribus, sive crucifixoribus, ille non solùm orat pro electis, ratio est, quia non omnes crucifixores fueri electi. Atqui prius est, Ergò. Unde constat, rationem Wendelini petere principium, cum ait: cur quæso mortem opperijsset, pro quibus ne intercedere quidem sustinuit. Cum ex clarissimo hoc loco constet, Christum pro crucifixoribus orasse. Falsum ergo est Christum pro solis electis preces fundere. Neq; juvat Wendelinum, excipientem, textum de fidelibus & electis tantùm exponendum esse, quia Propheta se illis accenseat & *Joh. 17. v. 9.* Christus dicat, non togo pro mundo. Resp. ad locum Johannis sæpius in præcedentibus responsum est, sermonem ibi esse de precatione speciali, non generali. Quod autem Propheta sese per usitatum loquendi modum communicationem, sive κοινωνίαν dictum, annumeret, hinc non infertur sermonem tantùm esse de electis. V. G. *Hebr. 2. v. 3.* loquitur Apostolus in primâ personâ, acturus de peccatoribus maximis. Ergòne inferam, illo tempore fuit talis? vide alia dicta *2. Cor. 15. v. 52. 1. Thes. 4. v. 17. Gal. 3. v. 23. 1 Pet. 4. v. 3. Eph. 2. v. 3.*

43. (3) Sic colligit: quorum Christus non est Pastor, pro iis quoque animam non posuit. At hircorum non est Pastor. Nec enim hirci sunt oves Christi. Ergò. Respond. Major est falsissima. Nam Pseudo doctorum pernitiosas sectas inducentium, Christus non fuit Pastor, & tamen illos (sanguine suo) mercatus esse dicitur *2. Pet 2. v. 1* Proinde non pari passu ambulant: esse Pastorem, & animam ponere pro ovibus. Quæ hic sub finem *cap 14.* excipiuntur à Wendelin. in præcedentibus sunt discussa.

44. (4.) Ad

44. (4.) Ad quos pertinent promissiones Evangelicæ, pro illis Christus satisfecit. Ad solos credentes pertinent promissiones Evangelicæ. Ergò pro solis credentibus Christus satisfecit. Respond. in præcedentibus dictum esse, confundi promissiones ipsas, cum promissionum fructu. Prius non solos respicit credentes, sed in genere totum genus humanum lapsum. Posteriùs credentes tantùm respicere concedimus, & eò collimant loca à Weudelino allegata.

45. (5.) Si Deus filium suum in mortem tradidisset, ut omnes promiscuè redimeret, & æternæ vitæ participes faceret, sequeretur, aut omnes actu redemptos & æternæ vitæ participes futuros, aut Deum fine suo in pluribus frustratum esse. Prius falsum, posterius absurdum est. Qui enim fine suo frustrari possit qui omnipotens & omniscius est? Respond. confunditur redemtio acquisita & applicata. Item: jus vitæ æternæ, cum actuali ejusdem perfruitione. Impios habere redemptionem acquisitam, item, vitæ jus, quatenus Christus pro illis mortuus est, largimur: imò contra negantes urgemus, verùm quia pleriq; manu fidei beneficia morte Christi parta applicante, propriâ culpâ, destituuntur, ex redemptione nullam & jure æternæ vitæ aquisito, capiunt utilitatem. Neq; hinc Deum fine suo frustrari sequitur. In negotio enim salutis Deus agit ordinatè, non absolutè, secundum potentiam certo ordini inclusam, non absolutam. Proinde licet Deus sit omnipotens, ut nulla vis, sive humana, sive angelica illi resistere qneat, *Esa.* 40. v. 17. potentiæ tamen, in negotio nostræ salutis sese exerenti, & ordinatæ resisti potest. *Jer.* 5. v. 3. *Dan.* 9. v. 6. *Act.* 7. v. 51. *Luc.* 10. v. 16.

46. (6.) Pro quibus Christus orare noluit, pro iis nec pati voluit. Atqui pro reprobis orare noluit. Ergò nec pro iis pati voluit. Quod verò pro reprobis orare noluerit, probatur absurdo. Qui semper à Deo exauditur, is impetrat quidquid à Deo petit. At Christus semper à Deo Patre exauditur *Joh.* 11. v. 42. Ergò impetrat, quidquid à Patre petit: & proinde quoq; salutem reproborum.

Omnes

Omnes igitur reprobi salutem consequuntur. Quicquid enim petendo hominibus à Christo impetratur? id tandem consequuntur. Respond. syllogismo primo in præcedentibus est satisfactum, videatur *disp. 10. Th. 26.* Quod attinet Christum semper fuisse exauditum; si itaq; pro reprobis orasset, utiq; exauditus fuisset. Respondeo, libenter largimur, Christum pro ratione precum ad Patrem fusarum, fuisse semper exauditum. Proinde Christus quædam oravit cum expressâ adjectâ conditione V. G. Pater si possibile est, transeat à me calix iste *Matth. 26. v. 39.* oravit, ut si possibile esset; transiret à se hora *Marc. 14. v. 35.* Pater si vis, transfer poculum hoc *Luc. 22. v. 42.* Pater, servato me, ex hac hora, *Joh. 12 v. 27.* In hac intensissimâ oratione ad Patrem directâ, Christus fuit pro ratione precum exauditus. Parrem enim oravit in statu extremæ exinanitionis, si Possibile esset genus humanum aliâ ratione posse redimi, si hæc esset illius voluntas, transeat passionis calix. Hinc inferre non licet: Christus rogavit Patrem, ut si hæc esset illius voluntas, transiret calix, Ergò Christus non est passus, quia exauditus fuit, Non aliter Christus generaliter Patrem rogat: Pater remitte meis crucifixoribus culpam illam, quia nesciunt, quid faciant. Ad quæ verba Bullingerus inquit, quærens in *1. Tim. 2.* pro quibus sit orandum? Resp. pro omnibus hominibus. Et subjungit: Christianorum esse imitari exemplum Jesu Christi, qui pro persecutoribus orârit. Sequiturnè, Christus oravit pro crucifixoribus, & est exauditus. Ergò nulli crucifixores perierunt. Proinde & hic tacita subauditur conditio, quæ, quia à parte plerorumque hominum non fuit adimpleta, actualis salus non fuit subsecuta, in omnibus individuis. Sensus enim orationis Christi hic est: remitte Pater meis crucifixoribus grande hoc peccatum, quia peccatorum suorum magnitudinem non satis expendunt *1. Cor. 2. v. 8.* Pœniteat igitur eos erroris, & convertantur, ut deleantur peccata illorum *Act. 3. v. 19.* Quodqnot ergò media salutis non neglexerunt, & Spiritui S. pœnitentiam operari volenti repagulum non obdidetunt, illi vigore precum Christi conversi sunt. Statim enim post illas preces alteruter latronum culpam suam agnoscens in cruce convertitur, lætamq; hanc Christi audit vocem:

hodie mecum eris in Paradiso; contra alter maledicendo pergens *Luc. 23. v. 39.* reprobatur. Centurio quoq; sub cruce stans glorificavit Deum: tum & turbæ videntes quæ contigerant, percussserunt pectora sua. Ipse Petrus concionem habens in die Pentecostes, vigore precum Christi, ter mille animas, unâ concione convertit, illorum scilicet Spiritui S. non recalcitrantium, sed verbum Dei libenter accipientium *Act. 2. v. 40. 41.* Preces ergò Christi non fuerunt absolutæ, sed conditionatæ, quod & inter alia constat ex *Joh. 17. v. 20.* quam conditionem quotquot opere compleverunt, etiam fructum ipso opere senserunt: cæteri justo Dei judicio dimissi & rejecti sunt.

47. Pergit Wendelinus dicendo: nemini Christus intercessione suâ salutem, ut finem, impetrat, cui media quoq; infallibilia non impetrat, cum finem sine medijs non assequatur. Si igitur fidem, quâ Christus vita nostra apprehenditur, à Patre reprobis Christus non impetrat, salutem ijs impetrare neutiquam dici potest. Respondeo, media salutis impetrantur quoq; impijs, respectu divinæ oblationis, *Act. 17. v. 31.* certis medijs factæ *Act. 16. v. 14. Rom. 10. v. 17.* Quando ergò fides non est omnium *2. Thess. 3. v. 2.* sed respectu perseverantiæ, solorum electorum *Tit. 1. v. 1.* culpa non est in Deo, sed ipsis præfractis & obstinatis hominibus verbum contemnentibus *Act. 13. v. 46.* & media fidei negligentibus *Matth. 22. v. 3.* vel spuria supponentibus *Rom. 9. v. 32.*

48. Ad locum *Luc. 23. v. 34.* respondet, illum aut accipi de perpetuis Christi hostibus, vel de electis nondum renatis, qui ad tempus Christum persequuntur & contemnunt. Si de illis (quod tamen non concedit) preces, non pro salute conferendâ, sed pro pœnis duntaxat mitigandis conceptas dicit. Si de istis, (ut omnino statuit) id sententiæ suæ non obstare ait. Respondeo, de quibus textus agat, non opus est divinatione, cum agatur de crucifixoribus, inter quos cum multi fuerint, & reprobi, & electi, de utrisq; textus accipiendus est. In specie, non posse de reprobis solùm textum intelligi, & quidem de mitigandâ pœnâ, indicat Justitia Dei, quæ non admittit fieri mitigationem pœnarum, hominum damnatorum

tum 2. *Thes.* 1. v. 6. *Rom.* 2, v. 8. 9. Manet ergò inconcussum, orasse Christum pro crucifixoribus; illi autem non omnes electi, nec omnes reprobi, sed partim electi, partim reprobi sunt, de illis ergò utrisq; textus intelligendus erit.

49. (7.) Si Christus mori voluit pro singulis hominum individuis, ad impetrandam iis salutem, utiq; mori etiam voluit pro omnibus iis, qui à condito mundo usq; ad Dominicæ passionis & mortis articulum, ad inferos erant detrusi. At consequens falsum est & absurdum. Ergò & antecedens. Assumptionis veritas manifesta est 1. quia frustra pro ijs esset mortuus. Ex inferno enim nulla est evasio. 2. quia moriendo pro iis ipse sibi fuisset contrarius, qui decreto prorsus irrevocabili æternis pœnis eos destinasset, & nihilominus in æternam felicitatem assertos voluisset. 3. quia injustè Deus λύτρον pro iis à Christo exegisset, qui in propriâ laborabant, & æternùm laboraturi erant satisfactione. Justitia verò Dei idem bis non punit. Respond. 1. cum Scripturâ loquimur, Christum esse propitiationem, pro peccatis totius mundi, dedisse pretium pro omnibus, non tantùm salvandis, sed etiam propriâ suâ culpâ celerem interitum sibi accersentibus. Quod ergò 2. attinet damnatos, pro illis Christus mortuus esse dicitur, non eo sensu, quem Wendelinus fingit, quasi jam actu damnati, ex inferno sint liberandi; sed quia Christi meritum valet retrorsum & antrorsum, & passio Christi ob personæ infinitatem profuit, antequam respectu actus transitorij fuit. Agnus enim ratione decreti & consilij divini, tum & virtutis & efficaciæ respectu occisus est, ab origine mundi *Apoc.* 13, v. 8. Patres namq; eâdem gratiâ salvati sunt, quâ & nos salvamur *Act.* 15. v. 11. Debebant ergò, antequam damnarentur, in Messiam credidisse. V. G. Cain & Abel, ambo obtulerunt Sacrificium *Gen.* 4. v. 4. sed Cainis Sacrificium Deo non fuit gratum, quia ex fide in futurum Messiam non profectum. Abel enim fide uberiorem hostiam obtulit Deo, quàm Cain *Hebr.* 11. v. 4. Cain ergò damnatus est, quia cum fidem non haberet, opera ejus mala erant; fratris verò justa. 1. *Johan.* 3. v. 12. Debebat ergò Cain, sicut Abel, credidisse in Messiam. Unde invictè sequitur, meritum Christi, ratione divini consilij & intentio-

tentionis, respexisse quoq; Cainum, licet intentionis, & consilij effectum Caini impietas impedierit. Quamvis ergò actus transitorius mortis Christi eo tempore peractus sit, quo Cain est damnatus; non tamen dicendum est, Christum mortuum esse pro Caino, ut ex inferno liberaretur; verùm debebat Cain, sicut Abel, adhæsisse verâ fide Messiæ suo tempore exhibendo. Atqui sic nunquam in locum damnatorum detrusus justo Dei judicio fuisset. Hinc verò sequitur, meritum quoq; Christi ipsum respexisse, modo ante explicato, Cainum, quia damnatus fuit, eò quod in Messiam futurum non credidit. Quod 3. concernit, damnatos in propria laborare satisfactione. Ergò justitiam Dei non admittere, ut idem bis puniatur. Responsum prioribus est disputationibus, cum Scriptura, impios non propterea puniri, quia Christus non satisfecerit, sed quod illud meritum aspernari fuerunt. *Joh. 3. v. 19. 2. Thes. 1. v. 8.* Non ergò repugnat divinæ Justitiæ peccata punire in Filio, & in impijs hominibus Christum cum merito suo à se repellentibus, & meriti usum, & fructum propria culpa non habentibus.

50. (8.) Pro quibus Christus est mortuus, eos nemo potest condemnare. At reprobos Deus damnabit. Ergò pro reprobis Christus non est mortuus. Propositio est ipsius Pauli *Rom. 8. v. 34.* Respondeo, propositio major, sine ullâ restrictione intellecta, falsa est, & ipsi Apostolo contraria *Rom. 14. v. 14. 1. Cor. 8. v. 11.* Ne ergò Apostolus sibi ipse sit contrarius, videndum, de quibus loquatur, anne de omnibus promiscuè, pro quibus Christus est mortuus: an verò tantùm de electis. Ipse Apostolus hanc litem dirimit, dicens *v. 33.* quis intentabit, crimina adversus electos Dei? Unde videmus mortem Christi, respectu electorum, non tantùm considerari respectu acquisitionis, sed & ipsius applicationis.

51. Sed regerit Wendelinus, Paulum ex morte Christi consolationem derivare, non facta mentione impetrationis vel applicationis. Hinc consequens esse, indivisibili nexu conjuncta esse beneficia impetrationis & applicationis; aliàs solidam consolationem è Christi morte, citra distinctionem, Apostolus non potuisset deducere. Respondeo, antea dictum est, Apostolum loqui

da

de electis, in quibus hæc duo indivisibili nexu cohærent. Aliàs in genere loquendo de hominibus, inclusis reprobis, pro plurimis Christus est mortuus, ut ex præcedentibus pater, qui æternùm damnantur.

52. (9) Si pro reprobis Christus est mortuus, utiq; summè eos dilexit. At consequens falsum. Ergò & antecedens. Connexi ratio est, quia teste Christo *Joh.* 15. *v.* 13. majorem charitatem nemo habet, quam si quis animam ponat pro amicis suis. Assumptionem res ipsa approbat. Qui enim fieri potuit, ut summo amore moriendo complecteretur eos, quos tanquam severus judex partim jamdudum Satanæ æternùm torquendos tradiderat, partim suo tempore decreto revocabili traditurus erat, ut Judam proditorem, Judæos contumaces, homicidas & horum similes. Respond Scriptura prævia rectè dico: Christum impios, tradendo seipsum in mortem, dilectione generali, qua ipsorum salutem summè promotam cupivit, dilexisse, *Joh.* 3. *v.* 16. id totidem verbis dicitur: ἔτως ἠγάπησε sic Deus, id est, explicante Aretio, supra modum dilexit mundum, qui postmodum distribuitur in credentes, & non credentes *v.* 18. Usitata quidem est, sed vana instantia, *mundi* nomine solos denotari credentes. Sicuti *p.* 44. Wendelinus probare satagit, de quibus in præcedentibus dictum. Nec est ut urgeatur *v.* 16. agere de solis electis *v.* 18. de hominibus in genere. Textus enim nimis clarus, hanc glossam per se elidit. Quomodo autem Christus summè diligere possit eos, quos tanquam severus judex Satanæ torquendos traditurus erat, ad id distinctione voluntatis antecedentis, & consequentis disput. 1 proposita, & ex Scripturâ, & ipsis adversarijs probata. *Thes* 31. optimè responderi potest. Pro diversa enim consideratione bene illa duo consistunt, sicuti copiosius in ipso discursu Publico dubitanti exponemus.

53 (10.) Si reconcilatio reprobis est impetrata per Christi mortem, est utiq; impetrata, ut applicetur. Nec enim alius potest nominari, aut excogitari finis. Finem igitur hunc, nempe applicationem, Deus exspectat à reproborum viribus, vel gratiâ

suâ præstare ipsis decrevit, cum nullas in reprobis vires agnosceret. Si prius dicas, vel ad Pelagium oportet transeas, vel id à reprobis exspectatum fatearis, quod præstitu ipsis impossibile esse Deus noverat; quæ ne in hominem quidem cadit, frustranea exspectatio. Si posterius, vel applicari omnibus parta bona affirmabis, vel decretum divinum rescissum dices. prius falsum: posterius absurdum est. Respondeo, concedimus eo fine reconciliationem à Christo reprobis impetratam, ut inde usum & fructum reportarent, id est, ut illam sibi verâ fide applicarent. Hinc per discipulos aliosq; synceros Doctores beneficia morte Christi parta offeruntur quoq; impijs, & incredulis *act. 13. v. 46. 6. 18. v. 6.* non tantùm, ut ait Wendelin. *c. 11. v. 45.* ad illos convincendos, sed & convertendos, ut Scriptura disertis verbis ait *2. Reg. 17. v. 13. Zach. 13. v. 31. c. 33. v. 11. Zeb. 1. v. 4. act. 26. v. 8.* Quia ipsa quoq; impijs offeruntur bona à Christo parta, hinc invictè beneficia illa, incredulis quoq; fuisse acquisita inferimus, *Matth. 22. v. 3.* & seqq.

54. Neq; hinc Pelagianismus metuendus est. Hominum enim vires ad conversionem non concurrunt salutem directè, & causaliter promovendo; interim tamen potest homo sibi relictus, ex corruptione partim naturali, partim actuali, per peccatum aggravata, sui ipsius conversionem impedire. Huc Scripturæ dicta collimant: ego volui: tu noluisti: expando manus: tu rebellas. Ego voco: tu audire renuis. Quando ergo homo Spiritui S. malitiosè non recalcitrat, sed cum Sergio Proconsule sermonem Dei audire desiderat *act. 13. v. 7.* tum Spiritus S. aperit cor. *act. 16. v. 4.* Quando enim homo in actionibus externis pædagogicis, in hominis non regeniti facultate adhuc dum positis, quas Scriptura sacra per apertionem januæ indigitat, *Apoc. 3. v. 20.* suo fungitur munere, tum Spiritus S. nemini salutem invidens, hominem convertit. Unde patet culpam, cur non omnes, quibus tamen gratia offertur, convertantur, non esse in ipso Deo, aut meriti Christi particularitate, sed in ipsis hominibus, veritatem oblatam rejicientibus, ut Aretius loquitur in *cap. 3. Joh.* quærendam, vel ut idem dicit, commentario in *2. Cor. 5.* Disce non per Deum, nec Dei filium stare,

stare, si qui non reconciliantur, sed per ipsos homines, qui hanc amicam invitationem ad gratiam non volunt admittere. Decrevit ergò Deus, omnes, qui audiunt & discunt, id est qui cum studio discendi verbum Dei audiunt *Joh. 6. v. 45.* convertere. Cæteri propriâ suâ culpâ non convertuntur *Act. 28. v. 27.*

55. (II.) Pro quibus Christus est mortuus, eos Patri reconciliavit, & reconciliatos servat *Rom. 5. v. 10.* At reprobos, qui damnantur, Christus Patri non reconciliavit, nec servat. Ergò pro reprobis non est mortuus. Respond. Major loquitur de duplici reconciliatione. Prima est universalis, concernens quoq; Dei inimicos, & respectum habet ad reconciliationis à parte Dei factæ impetrationem, de qua dicit *v. 6. 8.* Christum mortuum pro impijs, & peccatoribus quos inter quidam ita scandalizari potest, ut licet Christus pro illo mortuus sit, tamen propter scandalum ibidem expressum, æternùm pereat *Rom. 14. v. 15.* Altera dici potest reconciliationis applicatio, cum salvatione conjuncta. Prior reconciliatio, ejusdem cum ministerio reconciliationis est latitudinis. De hac rectè dicit Aretius in *2. Cor. 5.* habes materiam ministerij, hoc est docere reconciliationem *humani generis* cum Deo, cujus summam esse ait: mi homo, ne asperneris gratiam meam, ne excludas meritum meum, mors mea tibi desudavit. Sicuti ergò ministerium reconciliationis est universale, omnes, nullis exceptis, concernens homines. Omnibus enim dicitur: pœnitentiam agite, & credite Evangelico *Matth. 3. v. 2. Marc. 1. v. 15. 6. v. 12. Act. 2. v. 38. 6, 17. v. 30. Apoc. 2. v. 5.* Et ipse Paulus dicitur gentium Apostolus *Rom. 11. v. 13.* & Doctor *1. Tim. 2. v. 7.* ac minister *Rom. 15. v. 16.* conf. *Act. 1. v. 8.* Unde ipse Calvinus *cap. 53. v. 5.* Esaiæ, de reconciliatione nostri cum Deo exponens, concludit hisce verbis: unus quisq; hinc consolationem percipiat, atq; fructum hujus doctrinæ in usum suum accommodet. Nam cùm publicè *omnibus*, tum singulis separatim hæc dicuntur. Hinc concludimus: quicquid omnibus & separatim singulis, dicitur, (vulneratus est propter iniquitates nostras) illud quoq; omnibus & separatim singulis, est acquisitum. Atqui Christum, Patrem morte suâ placasse,

omni

omnibus, & seperatim singulis dicitur. Ergò quoq; omnibus, & singulis saparatim est acquisitum.

56 Posito ergò hoc immoto principio: reconciliàtionem considerari, primò universaliter, à parte Dei mundum sibi reconciliantis, universum scil. non particulam tantùm mundi. Deinde particularirer, à parte hominum, reconciliationem illam sibi applicantium. Tum apparet Majorem Wendelini non procedere in secundo membro, dum ita colligit; pro quibus Christus est mortuus, illi Deo reconciliati servantur. Nam ad salutem à parte hominum possidendam plus requiritur, quàm ad salutem, à parte Dei & Christi acquirendã Christus salutem merito suo omnibus acquisivit, cujus si quis esse vult particeps, necessum est, manu fidei eandem sibi applicet. Quia itaq; in Majore cunjunguntur illa, quæ ut latius & angustius differunt, nullâ habitâ distinctione, reconciliationis à parte Dei universaliter; à parte verò hominum, particulariter consideratæ: hinc Major non procedit. Si quis regerat: Apostolus tamen illa duo, loco allegato conjungit. Respondeo, id verum est. quia loquitur de justificatis ut v. 1. videre est. De quibus ait cap. v. 30. quos justificavit, hos & glorificavit. Quæ verò consequentia? justificati Deo reconciliati servantur. Ergò quotquot Deo reconciliantur, servantur, contrarium vide 2. *Petr.* 2. v. 20.

57, (12.) Tandem Wendelinus ita colligit: quibus per mortem Christi impetrata est reconciliatio, iis peccata non imputantur 2. *Cor.* 5. v. 19. Atqui omnibus, qui damnantur peccata non imputantur. Ergò nullis, qui damnantur, impetrata est per Christi mortem reconciliatio. Respondeo 1. antea ex ministerio reconciliationis universali, non piosolùm, sed & impios concernente probatum est, reconciliationem à parte Dei esse generalem. Finge enim cum adversarijs reconciliationem à parte Dei, esse particularem. Quomodo ille paucos tantùm concernens homines, eosq; tantùm credentes, offerenda esset promiscuè omnibus, cum ex Dei intentione ad illos non pertineret? Et ut tota hæc res eò fiat illustrior. Prior data distinctio reconciliationis, aliis verbis magis dilucidanda est.

est. Initio habemus 1. Deum peccatis nostris offensum. 2. Genus humanum Deum offendens. 3. Christum Redemptorem genus humanum, morte suâ innocentissimâ Deo reconciliantem. Deus licet pars fuerit offensa; tanta tamē ejus fuit φιλανθρωπία καὶ χρηστότης, ut καταλλαγῆς, seu reconciliationis fecerit initiū. Deo ergò fuit in Christo, ratione unionis essentialis, de qua Christus ait *Joh. 14. v. 10. 11. 20.* ego in Patre, & Pater in me, & *cap. 17. v. 23.* tu in me 2. Respectu unionis personalis, quia in illo tota Divinitatis plenitudo inhabitat, & quidem σωματικῶς *Col. 2. v. 9.* Et reconciliavit sibi mundum, dum Christum pro genere humano spondentem, pro eodem peccatum fecit; imputando scilicet Christo omnium hominum, sive mundi delicta, de qua re Esaias *c. 53. v. 6.* emphaticè ait הִפְגִּיעַ Deus incurrere fecit in illum, Christum scilicet iniquitatem omnium errantium, & in peccatorum viam declinantium. Quorum omnium languores, & dolores spirituales Christus verè portavit. Quia ergò Christus loco generis humani factus est victima, *Eph. 5. v. 2.* & execratio, *Gal. 3. v. 13.* utique respectu acquisitæ reconciliationis, mundus Deo, morte Christi est reconciliatus. Et quia in hoc generali reconciliationis actu, Christo generis humani peccata Deus imputavit, non potuit eadem mundo, respectu reconciliationis acquisitæ, imputare. Hinc Paulus dicit: Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi, non imputans illis peccata, utpote jam ante, Christo imposita *1. Pet. 2. v. 24.* Postquam hæc Apostolus ita proposuit, progreditur ad suum, & Collegarum officium, dicens: Deus posuit in nobis sermonem reconciliationis, id est, ad hanc reconciliationem jam descriptam, Deus vult invitemus omnem hominem *Coloss. 2. v. 28.* Rogamus ergò, inquit Apostolus, propter Christum reconciliemini Deo, quod fit, explicante Calvino, quando reconciliationis gratia omnibus offertur, & per Evangelium credentibus applicatur. Unde concludimus: quæcunq; reconciliatio ex divino mandato offertur hominibus, quoq; gratiam hanc aspernantibus, & amicam invitationem non admittentibus, illa non est solorum salvandorum. At prius est, vide *Matth. 21. v. 3. Marc. 16. v. 16. Col. 1. v. 23. Actor. 18. v. 6.* Ergò. Unde porro sequitur

quitur, non imputationem, ab Apostolo descriptam, hoc loco, referri ad meritum Christi acquisitum; non verò, ut *Psal. 32. v. 2. & Rom. 4. v. 8.* ad meritum Christi applicatum. Diversa ergò res est: Deus puniendo Christum, ob peccata mundi, non imputavit mundo peccata, quia illa in Christum conjecit. Et beatus est vir, cui non imputabit Dominus peccatum. Ultima non imputatio, est ipsa peccatorum remissio *Psal. 32. v. 1. Rom. 4. v. 7.* Prima est sufficientissima, & plenaria Christi pro peccatis totius generis humani satisfactio *1. Joh. 2. v. 2.* Quando itaq; damnatis peccata imputantur fit hoc secundo sensu, id est, obstante incredulitate, peccata iis non remittuntur; licet plenè pro ijs satisfactum sit, à Christo, satisfactionis tamen utilitas, ob manus fidei absentiam in eos non redundat. Atqui hîc finimus, cùm hanc disputationem, tùm partem de Prædestinatione primam. Quæ de universali ad gratiam vocatione, ut & cognatis materijs dicenda restant si Deus vitam, ac vires corporis largitus fuerit, in secundâ parte sequentur.

Deo autem Patri misericotdiarum, in Dilecto suo nos diligenti, & Christo Servatori sit benedictio, & honor, & gloria, & potestas, in secula seculorum, Amen.

IN-

INDEX
Dictorum Scripturæ
præcipuorum ex V. T.

Gen. 3. v. 20. p. 196. c. 22. v. 1. 2. 19. 12. p. 51 52. c. 25. v. 24. p. 65. c. 27. v. 34. p. 71.
Exod. 4. v. 21. p. 76. c. 33. v. 9. p. 45. 53.
Lev. 16. v. 22. p. 192.
1. Sam. 2. v. 12 p. 85.
2. Reg. 20. v. 1. p. 45.
2. Par. 36. v. 23. p. 191.
Psal. 32. v. 1. p 22.
Psal. 32. v. 2. p. 219.
Psal. 115. v. 3. p. 55. 85. 96.
Proverb. 8. v. 22. p. 84. c. 16. v. 4. p. 83. 84.
Esa. 53. v. 6. 11. 12. p. 126. 197. 20. c. 38. v. 1. p. 45. 53.
Jer. 31. v. 30. p. 163.
Ezech. 18. v. 33. c. 33. v. 11. p. 8. 13.
Joh. 3. v. 4 p. 45. 53. c. 7. v. 2. 3. p. 41. 46.
Zach. 9. v. 11. p. 162.
Mal. 1. v. 2. 3. p. 69. 156.

INDEX
Locorum Scripturæ
ex N. T.

Matth. 1. v. 21. p 122. 139. c. 7. v. 14. 27. 188. p. 27. c. 6. v. 18. p. 32. c. 7. v. 13. 23. p. 36. 154.
Cap. 8. v. 18. p. 127.
Cap. 10. v. 16. p. 31.
Cap. 11. v. 25. 26. 27. 28. p. 31. 32. 33. 103.
Cap. 13. v. 11. p. 89.
Cap. 18. v. 11. p. 29. 107. 108.
Cap. 20. v. 6. p. 89.

Cap. 22. v. 4. p. 89.
Cap. 23. v. 31. p. 46.
Cap. 24. v. 24. p. 118.
Cap. 25. v. 46. p. 36.
Cap. 26. v. 39. p. 48. 202.
Luc. 2. v. 10. p. 120.
Cap. 7. v. 30. p. 13.
Cap. 8. v. 13. p. 117.
C. 19. v. 10. p. 29.
C. 21. v. 17. p. 187.
C. 23. v. 34. p. 20. 262.
Joh. 1. v. 12. 9. 29. p. 22. 25. 109. 110. 111. 124. 195.
C. 3. v. 10. 16. p. 14. 21. 166. 22.
C. 4. v. 42. p. 15. 23.
C. 5. v. 28. p. 132.
C. 6. v. 33. 36. 37. 45. p. 51. 89. 189. 24.
C. 8. v. 112. v. 25.
C. 10. v. 15. 26. 28. p. 89. 118. 142.
Cap. 11. v. 42. 51. p. 151. 200.
C. 13. v. 18. p. 89.
C. 14. v. 6. 31. p. 180. 26.
C. 15. v. 19. 23. 48. p. 27. 104. 112. 27.
C. 15. v. 16. p. 3.
Joh. 17. v. 21. p. 919. 26. 133. 196. 199.
C. 19. v. 30. p. 180.
Act. 4. v. 12. p. 180.
C. 8. v. 13. p. 118.
C. 10. v. 4. 43. p. 85. 180. 195.
C. 13. v. 38. 38. p. 206. 85.
C. 14. v. 16. p. 89.
C. 17. v. 37. p. 15.
C. 20. v. 28. p. 14.
Rom. 1. v. 19. p. 90.
C. 5. v. 18. 19. p. 90. 183.
C. 8. v. 28. 29. 30. 32. p. 86. 87. 882
89. 92. 157. 204.
C. 9. v. 17. 22. 23. p. 18. 68. 97.
C. 11. v. 32. p. 33. 34. 36.
C. 14. v. 11. p. 116.
1. Cor. 8. v. 11. p. 38. 116. 132.
C. 15. v. 21. 22. p. 187.
2. Cor. 5. v. 14. 15. 19. p. 27. 133. 134.
Gal. 3. v. 22. p. 36. 86. 195.
Eph. 1. v. 4. p. 88.
2. Thes. 1. v. 8. p. 132.
C. 3. v. 2. p. 70.
1. Tim. 2. v. 4. 6. p. 133. 134. 36.
C. 2. v. 7. p. 24.
C. 3. v. 16. p. 27.
C. 4. v. 10. p. 16. 133. 135.
C. 5. v. 21. p. 3. 55.
2. Tim. 2. v. 13. p. 26. 165.
Tit. 3. v. 11. p. 40. 48.
Hebr. 2. v. 9. 10. p. 24. 133. 135 151. 178.
C. 4. v. 2. p. 114.
C. 6. v. 6. p. 136. 178. 177.
C. 9. v. 12. 15. p. 151.
C. 10. v. 26. p. 136. 162.
C. 12. v. 16 p. 70.
1. Petr. 2. v. 24. 25. p. 127.
2. Petr. 2. v. 1. p. 136. 179.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051/phys_0224
DFG

2. Petr. 3. v. 9. p. 48.
1. Joh. 1. v. 7. p. 293.
2. Joh. 2. v. 2. p. 27. 107. 108. 191.
C. 5. 16. 19. p. 192. 193.
Apoc. 4. v. 3. p. 169.
C. 5. v. 8. 9. p. 147. 163.
C. 13. v. 8. p. 203.

Index Rerum

Abraham quo sensu haeres mundi dicatur. p. 28.
Num debuerit immolare filium p. 52.
Adami lapsus Universalis p. 97.
Adamus quos perdidit illos Christus recuperavit p. 108. 128. 280.
Non debuit vesci ex fructu veri op. 5.
Angeli à Christo non sunt electi p. 3.
Angelica concio consolationis plenissima p. 120.
Applicatio beneficiorum Christi, cum divinâ intentione non confundenda. p. 121. 122.
Apostolorum munus est Universale p. 113.
Antonius suibus Evangelium praedicasse dicitur p. 196.
ἀναθεμα & ἀπισία idem in sacris notant. p. 35.
Aretii Confessio, promissiones esse Universales p. 160.
Augustinus vocem mundi non sumit proelecti p. 125.
Judam corpus Christi in S. Caenâ edisse ait. p. 126.
Phrasin indurare rectè exponit. p. 77.
Eiusdem locum Deum omnes salvos fieri velle affirmans p. 40.
Augustinum Calvinianus fuisse dicit *Polanus* p. 125.
Quod tamen non est verum p. 40.

B.

Baptismus est interrogatio bonae conscientiae. p. 167.
Beza dictum de hominibus ad damnationem destinatis. p. 5.
Beza veritatem audiens visit p. 107.
Distinctionem Christum sufficienter pro omnibus mortuum tergiversationem vocat. p. 107.

C.

Calvinus locum Joh. 15. v. 16. non malè exponit. p. 3.
Dicit quosdam homines ad damnationem creatos. p. 5.
Concedit pro omnibus hominibus Orandum p. 154.
Fatetur vocem multi idem notare quod omnes p. 163.
Ejusdem expositio loci Es 53. v. 6. p. 11.
Cain sanguine Christi redemptus. p. 204.
Damnatus p. 113.

Catechesis Westphrisica & Hollandica, concedit distinctionem, inter sufficientiam & efficaciam mortis Christi p. 183.
Conditionalis nihil ponit, nisi conditione posita. p. 96.
Contradictio Legis non excludit mendacium p. 47. 48.
Comminationes sub conditione intelligenda p. 54.
Cyrus omnes captivos dimisit. p. 86.
Judæis concessit libertatem abeundi in patriam. p. 122.
Christus oravit pro mundo. p. 20. 21.
Est quoq; pereuntium servator p. 24.
Qua fine venerit in mundum. p. 25. 26.
Quomodo dicatur illuminare totum mundum. p. 26.
Christus volens passus est. p. 49.
Est lux spiritualis. p. 110.
Christi meritum alio modo consideratur ratione acquisitionis & applicationis. p. 114.
Christus pro impijs mortuus p. 115. 163. 205.
Christo omnium hominum peccata imposita. p. 126.
Christus semper à patre exauditus p. 201. 202.
Oravit pro persecutoribus. p. 153.
Christum crucifigentes non omnes fuerunt electi p 153.
Christum denuo crucifigentes, pro illis Christus est mortuus. p. 165.

D.

Datio in sacris non una. p. 91. 198.
David à Nabale non est cibatus p. 176.
Damnationis impiorum quæ causæ. p. 113. 114. 157.
Deus num diligat reprobos. p. 171.
Deus vocat etiam contumaces. p. 32.
Deus non tantum singulos genera sed & singulorum genera vult salvari. p. 37.
Deus omnes condidit ad suam imaginem. p. 49.
Deus quædam vult cum conditione. p. 55.
Deus non est bilinguis. p. 51.
Nec injustus. p. 73.
Deus quomodo induret p. 76.
Non creavit impium p. 84.
Post lapsum conservat quoq; hominem. p. 85.
Deus elegit homines medijs salutis rectè utentes. p. 88.
Quædam vult ordinatè p. 96.
Condidit homines salvationis fine p. 97.
Est misericors & omniscius. p. 100.
Dei ad homines eligendos propensio est Universalis. p. 4.
Deus cujus est osor & ultor illius non est auctor p. 78.

INDEX.

Deus in Pharaone voluit finem non media. p. 79.
Dei ad homines eligendos propensio est Universalis. p. 4.
Delectari & velle male opponuntur. p. 11.
Diabolus indurat positivè. p. 76.

E.

Esau privatur jure primogenituræ. p. 55. 56.
Esau typus prædestinationis. p. 64.
Esau non servit Jacobo. p. 18.
Esavus circumcisione fœderi Dei insertus. p. 17. 18.
De illius salute benè speramus p. 19. 68.
Electionis vox ambigua. p. 2. 3.
Electi non pereunt p. 30.
Non semper sunt membra Ecclesiæ. p. 33.
Esau quo sensu odio habitus. p. 69.
Quomodo non invenerit locum pœnitentiæ. p. 70. 71.
Esau ad imaginem Dei conditus p. 57. 156.
Ecclesiæ ministri dicuntur Angeli. p. 165.
Ecclesiam errare posse, largitur Bucanus p. 125.
Electi non tantum sunt obnoxij servituti. p. 135.
Efficacia mortis Christi consideratur dupliciter. p. 139. 184.
Electionis particularitas non infert præteritionem Calvinisticam. p. 88. 113.
Edomæi inservierunt Judæis. p. 65.
Ezechias precibus suis, vitæ obtinuit prolongationem. p. 53.

F.

Franciscus anseribus prædicat Evangelium. p. 196.
Fides est opus Dei p. 101.
Fidei absentia, non negat mortis Christi actum. p. 116.
Fides non facit sacramentum. p. 195.
Felicitas temporalis non probat pietatem p. 69.
Fructus meriti Christi est particularis, sed non ipsum meritum p. 140 157 185.

G.

Gaudium Judæorum & gentium est totius mundi p. 121.
Gentilibus semper patuit ad Ecclesiam aditus. p. 90.
Gentes & Judæi quando conjunguntur, totum genus humanum intelligitur p. 121.
Glorificationis particularitas, non infert voluntatis Dei de hominibus salvandis particularitatem. p. 85.
Gratia aliter consideratur respectu acquisitionis, aliter applicationis p. 160.

Gual-

Gualteri testimonium Christum salutem Judæ promovere voluisse p. 92.
Ejusdem orthodoxa assertio, Christum esse Universalem redemtorem. p. 129.

H.

Hirtus typicè portavit peccata. p. 124.
Herodes suo metuit regno. p. 102.
Hæreditas spiritualis est fructus meriti Christi p. 164.
Hollandici Catechismi argumenta Christum, non pro omnibus satisfeciße. p. 164. & seqq.
Homo bilinguis pessimus. p. 51.
Homines multa faciunt quæ Deus non vult. p. 88.
Homo non est conditus ad mortem p. 85.
Homines sibimet ipsis salutem impediunt. p. 93. 182 183.
Possunt turbare ordinem divinitus præscriptum p. 99.

I.

Jacobus non fuit exemplū prædestinationis p. 64.
Impiis promissa vita æterna. p. 158. 168.
Impii damnantur, quia Christum repellunt p. 204. 133.
Illuminatio Joh. 1. v. 9. qualis p. 25.
Incredulus non habet remissionem peccatorum p. 161.
Inclusiva non excludit aliud. p. 142 127.
Infantes extra Ecclesiam an salventur p. 100.
Incredulitas damnationis Causa p. 116.
Interrogatio aliquando vehementissimè affirmat p. 45.
Judæi seipsos vitâ æternâ indignos red diderunt. p. 94.
Incredulitas nostra Dei fidelitati nihil detrahit p. 116.
Judæi & Gentes quando conjunguntur, totum genus humanum intelligitur p. 121.
Justificatio consideratur duplicitur p. 129. 130.
Judas accepit corpus & sanguinem Christi. p. 155.
Justificatio & prædestinatio ratione causarum conveniunt. 1.
Judam Christus à proditione dehortatur. p. 23.
Induratio est pœna peccatorum. p. 69.
Induratio quomodo Deo attribuatur. p. 76.
Isaac non erat immolandus p. 52.
Ismaël non fuit filius promissionis p. 55. 63.
Judæi cur sint rejecti p. 58.

INDEX.

Isaac filius promissionū p. 63.
Judas proditor ad imaginem Dei fuit conditus. p. 69.
Judas in numerum Apostolorum cooptatur p. 89.
Judam Deus voluit salvari p. 89.
Imago Dei & aterna damnatio invicem pugnant. p. 79.
Justificatio particularis non infert voluntatem Dei de salvandis hominibus particularem. p. 94.

K.

Keckermanni dictum de hominum damnatione. p. 6.

L.

Logica contradictio non excludit contradictionem moralem. p. 47. 48.
Luminis spiritualis acquisitio est Universalis. p. 164.
Lux qualis Joh. 1. v. 10. p. 110.
Lutherus articulum, Justificationis plurimi fecit. p. 1.
Piè credidit Esavum esse salvatum p. 68.
Lutherani non sunt Samosateniani. III.

M.

Marloratus, pro omnibus orandum ait p. 164.
Martyris sententia de hominum damnatione. p. 6.
μετάνοια includit fidem. p. 15.
Meritum Christi Universale. p. 139.
Applicatio ejusdem licet particularis. p. 146.
Mercari quo sensu Christus dicatur pseudo Prophetas, p. 136.
Melanchthon promissiones universales esse dicit. p. 159.
Meriti Christi sufficientiam quo sensu exponant adversarij. p. 186.
Misericordia Dei libera non tamen absoluta. p. 73.
Mors Christi & hominum actualis salus non semper coherent. p. 171. 174.
Misericordia propensio & actus non confundi debent. p. 35. 155.
Mundi vox est homonymos. p. 196.
Mundi acceptiones in sacris quot occurrant. p. 17. 188.
Mundo impio quo sensu Deus det vitam. p. 25.
Mundi vox quid notet. p. 108. 188.
Mundo non norat soles electos. p. 14. 15. 17. 125. 203. 205.
Mundi vox aliquando pro Ecclesia sumitur. p. 125.
Musculus locum 1. Joh. 2. v. 2. rectè exponit. p. 16.
Mors Christi ratione acquisitionis est Universalis. p. 129. 133.
Morte Christi redempti non omnes sunt electi. p. 118.
Mortis Christi fructus culpa hominum fit particularis. p. 123.

Mors Christi & fructus ejusdem, non sunt confundenda. p. 122. 190. 194.
Mors Christi valet antrorsum & retrorsum. p. 202.
Musculus in loco de peccatorum remissione noster est. p. 113. 159.
Multi sæpe quod omnes. p. 163.

N.

Nativitas Christi ex divinâ intentione omnibus prodest. p. 120.
Nabal an sufficienter tibarit Davidem, quia potuit. p. 196.
Non imputatio est gemina. 210.
Negatio fructus mortis Christi non infert negationem ipsius mortis. p. 122.
Niniviis quomodo annuntiata sit subversio. p. 54.
Nuptiæ spirituales etiam impijs adornatæ. p. 112. 125.

O.

Oratio debet esse generalis. p. 154.
Oratio nostra pro norma habet Christi precationem. p. 21. 153. 154.
Oratio est duplex, generalis & specialis. p. 19. 153.
Odio habere quid notet. p. 18.
Opera nostra excluduntur à prædestinatione, non Christus. p. 74.
Ovis vox, non notat solos electos. p. 31. 118. 128.
Ophni immorigerus filius. p. 85.
Occolam padius locum Esaiæ 53. non malè exponit. p. 127.

P.

Passio Christi ob personæ infinitatem semper profuit. p. 203.
Patres non sunt norma fidei. p. 193.
Pareus fatetur promissiones esse universales. p. 97.
Et Christum sufficienter pro omnibus mortuum. p. 106.
Paulus Rom. 9. quid principaliter intendat. p. 57.
Pharao Ecclesiæ persecutor. p. 74.
Parabolæ non sunt extra scopum extendendæ. p. 78.
Particularitas salvandi non infert particularitatem salvationis. p. 86. 163.
Parei querela injuriam sibi fieri. p. 5.
Pharaonem Deus positivè non induravit. p. 73.
Parentes filijs suis bene cupiunt. p. 94. 45.
Pharisæi præverunt Dei consilium p. 94.
Pelagium non defendimus. p. 181.
Permissio Dei habet aliquid quod vult. p. 12.
Prædestinationis quodnam genus. p. 2.
Prædestinatio & electio æque latè patent. p. 2.
Pœnitentia Esavi qualis. p. 70.
Prærogativa non infert salutis negationem. p. 90.

Pij habent consolationem ex morte Christi, licet pro impijs sit mortuus. p. 166.
Piscator negat Deum velle omniam salutem. p. 6.
Improbat distinctionem inter sufficienter mori & efficaciter. p. 106. 171.
Principium petit. p. 108.
In sententiâ suorum proponendâ caeteris dicendior. p. 181.
Locum Ezech. 23 v. 11. de morte corporali tantum exponit. p. 12.
dictum Matt. 11. v. 32. male interpretatur. p. 32.
Locum Matth. 18. v. 11. depravat. p. 30.
Polani argumenta contra mortis Christi universalitatem. p. 190. 191
Potentia ordinata sese exerit in negotio salutis. p. 193.
Prophetae quomodo indurent. p. 78.
Proselyti quotnam tempore Salomonis fuerint. p. 90.
Promissiones Evangelij sunt universales. p. 8.
Propensio ad salvandum est universalis. p. 143.
Promissiones aliae sunt absolutae aliae ordinatae. p. 159.
Promissio & fructus non confundi debent. p. 200.

Q.

Quia non est nota causa. p. 104.

R.

Rationis exercitium saepe impedit fidem. p. 101.
Reconciliatio alia est acquisita, alia applicata. p. 109.
Renatus quis sit. p. 118.
Renatum & electum esse non pari passu ambulant. p. 117. 118.
Reconciliatio acquisita est Universalis. p. 134.
Redemptionis acquisitio & applicatio non confundenda. p. 14. 168. 200
Remissio peccatorum omnibus acquisita. p. 161
Resurrectio mortuorum 1. cor. 15. qualis. p. 189. c. 9.
Rom. Epistola c. 9. quinam scopus. p. 57. 58.

S.

Salvationis particularitas non infert redemptionis particularitatem. p. 141. 163.
Salvandi actus & ejusdem propensio distinguuntur. p. 87.
Salomonis tempore quot fuerint proselyti. p. 90.
Samosateni errorem nos non defendimus. p. 111.
Sanguinis vox in sacris quid notet. p. 13.
Servi Hebraeorum septimo anno dimittebantur. p. 122.
Saulus Ecclesiam persequens fuit electus. p. 118.

Simon

Simon ad tempus verè credidit. p. 118.
Sol quomodo oculos lippientes occæcet. p. 76.
Et qua ratione inducat tenebras. p. 77.
Sohnius agnoscit convenientiam decreti & executionis. p. 1.
Sufficienter quomodo Christus mortuus. p. 106. 107. 175. 179.

T.

Theodoretus ait Deum velle omnes salvos fieri. p. 40.
Tribunal Christi omnes excipiet. p. 113
Typus & antitypus quo usq; conspirent. p. 124. 19.

V.

Vasorum misericordiæ & iræ diversa ratio. p. 79.
Verba notitiæ sæpe non scientiam nudam speculativam notant. p. 255.
Vita æterna non est extra Christum. p. 124.
Voluntas quo sensu dicatur antecedens & consequens. p. 17. 158, 205.
Vocatio an sit duplex. p. 45.
Vocationem internam an Deus revelarit. p. 45.
Voluntas Christi humana & divina non pugnant. p. 46, 47, 48.
Vocatio quo sensu dicatur efficax & inefficax. p. 49.
Voluntas signi & beneplaciti, an in negotio salutis distinguatur. p. 42. 50. 51.

W.

Westphrisionum argumenta Christum non pro omnibus mortuum p. 16[illegible]. & seqq.
Wendelinus apertè fateetur Christum non pro omnibus, sed solis electis mortuum. p. 175.

Z.

Zanchius sibi ipsi adversatur. p. 1.
Ejus sententiâ de induratione. p. 6.
Dicit unum quemq; debere credere in Christum. p. 15.
Deum excitasse pharaonem affirmat p. 79.
צאן notat hircos & oves p. 1[illegible]8.

SOLI DEO GLORIA.



Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn729958051/phys_0236
DFG

INDEX.

tienem ex morte
ro impijs sit mor-
um velle omniam
nem inter suffi
efficaciter. p. 106.
p. 108.
proponendâ ca-
p. 181.
v. 11. de morte
m exponit. p. 12.
32. malè inter
v. 11. depravat.
contra mortu
litatem. p. 190. 191
sese exerit in ne-
193.
indurent, p. 78.
tempore Salomo
90.
relijssent univer-
dum est univer-
unt absolutæ alie
w non confundi
causa. p. 104.

R.

Rationis exercitium sæpe impedit fidem. p. 101.
Reconciliatio alia est acquisita, alia applicata. p. 109.
Renatus quis sit. p. 118.
Renatum & electum esse non pari passu ambulant. p. 117. 118.
Reconciliatio acquisita est Universalis. p. 134.
Redemptionis acquisitio & applicatio non confundenda. p. 14. 168. 200
Remissio peccatorum omnibus acquisita. p. 161
Resurrectio mortuorum 1. cor. 15. qualis. p. 189. c. 9.
Rom. Epistolæ c. 9. quinam scopus. p. 57. 58.

S.

Salvationis particularitas non infert redemptionis particularitatem. p. 141. 163
Salvandi actus & ejusdem propensio distinguuntur, p. 87.
Salomonis tempore quot fuerint proselyti. p. 90.
Samosateni errorem nos non defendimus. p. 111.
Sanguinis vox in sacris quid notet. p. 13.
Servi Hebræorum septimo anno dimittebantur, p. 122.
Saulus Ecclesiam persequens fuit electus. p. 118.

Simon